MATURINI CORDERI COLLOQUIORUM SCHOLASTICORUM LIBRI 5...

Maturin Cordier

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
42
3 L
16

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MATURINI CORDERII

COLLOQUIORUM SCHOLASTICORUM

LIBRI V.

SERIE NATIVA AUTORIS, &c.

CUM

ARGUMENTIS

SEU

LOCIS COMMUNIBUS, PIETATI, DECORO, LITERIS PUERILIBUS LONGE EMENDATIUS ITERUM,

ET CUM

LUDICRIS PUERORUM JOACH. CAMERARII,

ET

MEMORIA PYTHAGOREA &c.

UT ET

CUM INDICE LATINE DISCENTIBUS NECESSARIO EDITI.

LIPSIÆ,

EX OFFICINA HEINSIANA.

M DCC XXX.

Digitized by Google

MATURINI CORDERII IN COLLOQVIORUM SUORUM LIBROS PRÆFATIO.

ANnus igitur minimum quinquageſimus, ex quo ſuſcepta docendi pueros provincia, in hanc cogitationem totus incubui, qua poſſem ratione efficere, ut pueri pietatem bonosque mores cum humaniorum literarum ſtudiis conjungerent. Quamvis enim, qvum Pariſiis primum eo munere fungi cœpi, cum in aliis Gymnaſiis, tum in Rhemenſi, S. Barbaræ, Lexovienſi, Marchiano, Navarreo, nondum mihi verum Evangelii lumen illuxiſſet, ſed in profundis ſuperſtitionum tenebris demerſus jacerem: diſcipulos tamen meos bona fide ſemper non ſolum ad humanitatis ſtudia, ſed etiam ad cultum divinum adhortabar; ſi tamen eo nomine appellare licet profanos illos falſæ Eccleſiæ ritus, quos ego pene ab incunabulis hauſeram, & DEO acceptos eſſe mihi perſuaſeram. Me autem in illo inſtituto conſtanter perſeveraſſe, ſatis idonei ſunt teſtes libelli aliquot a me diverſis temporibus editi, in quibus ſcribendis ſemper mihi conſilium fuit ad utrumque horum ſimul pueros formare.

Idem teſtari poſſunt & mei diſcipuli, e quorum ingenti numero, qvum ſuperſint ad hunc usque diem plerique celeberrimi viri, unus tamen potiſſimum in præſentia mihi occurrit ex iis, quos Pariſiis docui, præſtantiſſimus ille JC. quem honoris cauſa nomino. Ex quo autem mei miſertus pater clementiſſimus, mentem vera ſui Evangelii cognitione illuſtravit, multo etiam ardentius id propoſitum perſeqvutus ſum. Quod & Nivernenſis ſchola, & aliquanto poſt etiam Burdegalenſis, ad quam Lutetia profugus propter Evangelicæ doctrinæ profeſſionem, me contuleram, per trienniurn experta eſt. Sed cum & plenior Evangelii cognitio deinde acceſſiſſet, & uberior etiam, imo vero prorſus libera mihi eſſet ejus profeſſio, tum vero voti mei compos reddi, vehementiore deſiderio quam unquam antea concupivi. Atque id teſtari hæc Schola Genevenſis jam pridem potuit, in qua ego, relicta Burdegalenſi, docui, potuit & Neocomenſis, cujus per annos circiter ſeptem fui Moderator, (de Neocomo autem in Helvetiorum finibus ſito loquor) potuit & Lauſanenſis teſtari, ubi Gymnaſiarchæ partes annos totos duodecim magnificentiſſimorum Dominorum Bernatum auſpiciis ſuſtinui: Potuerunt, inquam, una cum Genevenſi hæ quoque Scholæ teſtari: ſed & nunc eadem mihi teſtis eſſe poteſt; qvum in eam me ſecundo Pater ille benigniſſimus, ſenectutis meæ miſertus, quæ annum octogeſimum quintum attigit, tanquam in portum tutiſſimum, poſt infinitos labores & multa

Corderius Exul ob religionem.

Ætas Corderii.

ta

ta pericula, receperit. Ex quo tempore ſæpiſſime mecum cogitavi, qua potiſſimum in re inſervire illi poſſem, qui me per totam vitam tanta benignitate proſeqvutus eſſet, meque tot laboribus & periculis liberaſſet. Qvum autem Robertus Stephanus, amicorum meorum intimus, (quo primum Doctore ad Evangelii cognitionem uſus fueram) me, ut alias ſæpe, ad ſcribendum aliquid pueris, vehementer hortaretur, & adminicula, quæcunque neceſſaria eſſent, polliceretur, atque adeo jam mihi amanuenſem ſuis ſumtibus aleret, animum ad eam rem appellere cœpi. Sed proh dolor! Robertus ille meus haud multo poſt ex hac vita ad Chriſtum, non ſine maximo literarum detrimento, commigravit. Neque tamen ego incepto deſtiti, ſed aliquot opuſcula ſcribere ſum aggreſſus, quibus me conſulturum puerorum ſtudiis ſperabam, ſi quando mihi manum illis extremam imponere liceret. Verum enim vero ex quo tempore ad hanc docendi provinciam, Deo ita volente, ſum revocatus; ſic animum abjeci, ut vix ſperare poſſem, aliquid unquam edendi mihi datum iri ſpatium: propterea quod, ut ſemper antea feceram, me ad ſatisfaciendum diſcipulis ita dederam, ut ne ſuccisivas quidem horas mihi liberas relinquerem. Et quamvis permulti ſæpe mecum agerent, adeoque precibus efflagitarent, ut tandem aliquid ad puerorum utilitatem in lucem emitterem: nemo tamen perſuadere poterat, ut mihi exirent e manibus, quæ judicio meo nondum ſatis probabantur. Anno tandem ſuperiore,

riore, quum docendi adjutor ex animi ſententia mihi, dono Dei, obtigiſſet, venit in mentem chartulas meas, præſertim vetuſtiores, diligentius excutere: inter quas occurrerunt hæc noſtra colloquia, quæ jam fere triennium quaſi ſopita in muſeolo meo latuerunt. Ea igitur, velut e ſomno excitata, quum in manus ſumſiſſem, placuit matutinis horis, (id eſt, tempore mihi a docendi provincia vacuo) recognoſcere, aliquot etiam augere colloquiis, & quantum res ipſa patiebatur, expolire. Peracta recognitione, viſum eſt opuſculum communicare cum quibusdam viris doctiſſimis; qui quum meum in eo conſilium probaſſent, dignumque cenſuiſſent, quod pueri cum Grammaticæ rudimentis haberent in manibus: ego perſuaſus frequenti eorum hortatione, permiſi, ut liber in publicum ederetur. Sunt enim hæc noſtra colloquia ejusmodi, quæ (niſi me fallit animus) bonæ indolis pueros magnopere juvare poſſint ad eas res conſequendas, quas ego ſemper in votis habui, & in quibus ut pueri exercerentur, omni profeſſionis meæ tempore potiſſimum laboravi: hoc eſt, (ut ſupra dixi) ad pietatem & bonos mores cum literarum elegantia conjungendos. Equidem fateor aliis opus eſſe ad eam rem adjumentis, quam hæc ſunt puerilia colloquia: ſed tamen, ſi pueri diligenti magiſtrorum exhortatione aſſidue incitati in his lectitandis ſeſe oblectabunt, futurum confido, ut non ſolum purius & honeſtius ſermones inter ſe conferre aſſveſcant, ſed a pravis etiam colloquiis abſtinere:

Colloquiorum horum uſus.

Digitized by Google

ſtinere: quibus (ut ait Apoſtolus ex Menandro) mores boni corrumpuntur. Hic enim præter linguæ latinæ ſimplicem puritatem multæ interjectæ ſunt, modo ad pietatem & DEI timorem admonitiones, modo præcepta ſalutaria de moribus, paſſim vero documenta ſive exempla ad recte vivendum accommodata. Ut interim taceam, quot modis una & eadem opera excitari & acui poſſit puerorum ingenium, & ad prudentiam, & ad judicium comparandum: Ubi ſcilicet alter alterum hortatur, admonet, arguit, libereque reprehendit. Porro in his ipſis libellis ſic induxi loquentes pueros, ut etiam obiter & quaſi aliud agens, Parentes, Pædagogos, Præceptores quoque minus diligentes, de ſuo quemque in tractandis puerilibus ingeniis officio, compluribus in locis commonefaciam. Sed de colloquiorum uſu atque utilitate hactenus. Reliquum eſt, ut illa pueri, in quorum uſum conſcripta ſunt, eo, quo ſcripſimus, animo amplectantur & legant, iisque quamdiu opus fuerit, fruantur. Quod ſi fructus ex eorum lectione ſe percepiſſe intellexerint; ei gratias agant immortales, qui nobis ad ea ſcribenda & animum & facultatem ſuppeditavit. Interea quoque meminerint preces ad ipſum Deum ſæpe & ex animo pro hujus civitatis Ampliſſ. Senatu & Prudentiſſ. Magiſtratibus fundere: Sub quorum felici adminiſtratione, Deo ſua gratia providente, tranquillam vitam agimus, ſtudiaque noſtra in ipſius gloriam feliciter proſequimur. Datum Genevæ 8. Idus Febr. An. Chriſtianæ Redemptionis 1564. ætatis autem noſtræ 85.

MARTINUS HAYNECCIUS,
HENNINGIO GROSSIO, BIBLIOP. LIPS.

O Res putidula & proterva, Groſe;
Secli injuria, vis in officinas,
Feroce Orbilio ferociores:
Romanum Latiæ ſonum loquelæ
Germani pueros licenter oris
Magnis poſcimus auſibus minaces.
Nec recta ratio viæ modusve
Dictatur rudibus per atra teſqua
Nec rite Auſonia præitur ore:
Exemplarve docens venuſtiorum
Verborum datur, aut locutionis.
Ut multum temere profata quævis
Latino male vendicamus ori.
Hoc eſt, curvigrado quod ille cancer
Patri filius edidit monendi:
I recta genitor, præi, ſequamur.
CORDERUS videt hoc, patique neſcit:
Et qua ſe pietate, quo decoro,
Quibus literulis probat togatis,
Annis & quibus uſibus ſeris
Diſcentum, tenet & vias docentum?
De recta pietate, de decoro,

Et

Et de literulis loqui togatis,
Ac de literulis cotidianis,
Monſtrat ore pio, decoro,
Piis literulis, tenellulo ore.
O fidum ingenium! tenellulorum
Nectar Ambroſiæ favi atque mella!
Hoc quod ergo tuo cupis periclo
Qualitunque mea juvante opella,
Groſi reddere trititius tenellis,
En habes, levidenſe delicatis
Munus: Oenotria notæ probatæ,
Sed filo pavidenſe, & expeditam
Citratis bene Synteſin catervis:
Rem vilem, at celebrem, Deoque gratam
Rem, quæ jure magis tenellulorum
Ad cœlum lepido eſt vocanda verſu:
Quam res putidula illa: Quam proterva
Secli injuria, vis in officinas,
Feroce Orbilio ferociores.

ad Muldam 7. Aug. Anno 1588.

TYPOGRAPHUS LECTURIS.

UT, quid hac editione ſuper alias hactenus emiſſas a nobis in diſcipulorum gratiam præſtitum ſit, conſtaret, Lector optime, ſcire volu-

mus, ſecundum ſeriem nativam Autoris & nominis a quodam adulterata argumenta ſeu ſummulas breviores nos illis prioribus adhibuiſſe, confectas ita, ut rem omnem propius attingerent, pleniusque exponerent, ſive ea ad pietatem, ſive ad decorum puerile, ſive ad literas attinerent. Atque ex his poſtea utiliſſimum habes congeſtum hic indicem materiarum puerilium ac ſcholaſticarum, de quibus hiſce Colloquiis inter confabulantes Rom. linguæ verbis cotidianis ſermones cæduntur: nimirum ut ad quemcunque uſum fortuitum tyrones haberent, ubi ſcholaſticarum ſuarum rerum verba ac formulas, ad loquendum præformatas, ſtatim ipſi reperire, repertasque ad rem præſentem conferre facile & cum fructu poſſent. Accedit his epiſtola quoque, ut humaniſſima, ſic eruditiſſima viri optimi ac fideliſſimi olim puerorum Magiſtri, optimeque de literis & humanioribus & divinioribus meriti, Georgii Fabricii, quam omittendam nullo modo putavimus, quod de liberali educatione, ſtudiisque puerilibus plane diſſerens, digna omnium diligente ac crebra lectione merito exiſtimaretur. Poſtremum eſt, quod dialogum de Gymnaſiis, hoc eſt, puerilibus ludicris, eisque ſcholaſticis, id eſt, honeſtis ac liberalibus, & vere ludis utilibusque exercitationibus, curavimus & ipſum apponi, ſcriptum & editum ſuperioribus annis ab ampliſſimo illo Viro JOACHIMO CAMERARIO. Nam in hac parte exercitiorum ſcholaſticorum quoque deſiderari non parum attentionis

Digitized by Google

tionis atque prudentiæ, ubique hodie manifeſtum eſt. Vale, Lector, & nos ama, noſtrisque laboribus feliciter ac diu fruere. An. 1588. Menſ. Auguſti.

GEORGIUS FABRICIUS CHEMNICENSIS, D. CHRISTOPHORO LEUSCHNERO, MEDICO DOCTISS. S. D.

QUoties ad me, Vir Doctiſſime, pro noſtra familiaritate & neceſſitudine adis: toties de ſtudiis puerilibus, quibus occupari me vides, ſermo inter nos oritur. Non raro autem & moleſtias mihi lenis orationis ſuavitate, & ægritudinem adimis verbis & conſolatione: ſemper vero ad labores ſuſceptos tuis me hortatibus remittis alacriorem. In noſtris autem ſermonibus facile demonſtras curam & ſolicitudinem paternam de vita & educatione filiorum tuorum. Hæc" enim a paucis hodie judicio conſiderato & ſtu-" dio conſtante conſpicitur: & eſt in iſta ſeculi" temeritate ac licentia difficilis: & videtur cum" ipſa mundi ruina, nunc magis quam unquam antea, ut & aliæ res laudandæ, inclinari. Solet autem noſtrarum I. eſſe collocutionum hic fere ſcopus, & quid II. moratos efficiat liberos, & quid eosdem retineat frugi ac bonos. Morati ut ſint, Parentum præſtat ſtudium & vigilantia,

Bo-

Digitized by Google

Boni ut maneant, & parentum & liberorum conjuncta ſimul pietas, atque induſtria. Studium parentum ſit potiſſimum, ut animis adhuc teneris DEI cognitionem inſtillent; utque laboribus honeſtis, aut certe otio non turpi delectari, liberos aſſuefaciant: denique ut in omnibus rebus pulchris eos morigeros habeant, & obedientes. Nam qui eos adhuc pueros ſtultitia & fatuitate corrumpunt, quique ad contumaciam armant obſequio & indulgentia adoleſcentes, quid promittunt, quod de adultis ſperandum, aut corroboratis exſpectandum ſit? Mores vero pueriles maxime reguntur diſciplina, & formantur literis, & confirmantur exemplis, & perficiuntur pietate. Quibus enim ingrata animadverſio, & injucunda cultura, & virtus ipſa eſt odio, & religio contemtui: manent perpetuo & diſſolutione effrenes & imperitia agreſtes, & licentia indomiti, improbitate ſcelerati: Tali igitur monſtro quid fingi poteſt magis peſtiferum, quod petulans, incultum, carbatum, flagitioſum in quamcunque vitæ partem, aut hominum ordinem incitatur, ceu Furia quædam incidit, conturbat, diſſipat, evertit omnia. Laborant patresfamilias impii, ut ſuis aut latifundia, aut copias locupletes, aut pecuniam depoſitam, aut magnificas villas, aut amplam ſuppellectilem relinquant: quanto magis boni parentes attenti ſint, ut integritatis, eruditionis, ſapientiæ acceſſione & muneribus liberi eorum augeantur & floreant? cum virtutis & ſcientiæ hæredi-

I. Corruptela domeſtica. Vera educatio. 1. 2. 3.

reditas nemini onerosa, nullis caſibus ſubjecta, ſocietati hominum ubique fructuoſa exiſtat: quod in rebus illis, quibus ſtudent opulenti & divites, non fit, aut certe ad exigui temporis fit momentum. Jam qui liberos verecundis & optatis mo- 1.
ribus ſua aliqua diligentia habent, illis navanda porro opera eſt, tales ut ſemper retineant: quod 2.
qui efficere cupiunt, primum viros ſpectatos & magiſtros prudentes eligunt, deinde precibus eos 3.
ardentibus DEO quotidie commendant. Judicium de magiſtri moribus faciendum eſt, qui ſi veræ pietatis ſit obſervans, ſi probe in literis exercitatus, ſi in munere ſuo fidelis & aſſiduus, fieri non poteſt, quin, ut peritus & laborioſus agricola etiam aſperum ſolum ſubigit, & ſteriles ſentes domat: ita & ipſe virtutis & ſtudiorum præclare ſemina jaciat, mores cultu diuturno pravos extirpet, meliores inſerat, docentes producat. Parentum preces quid poſſint, hiſtoriæ matrum aliquot ſanctiſſimarum, inprimis Hannæ Ebreæ, & Monicæ Africanæ teſtantur: & ſi grati eſſe domi volumus, noſtrorum parentum exempla comprobant.

Quamvis autem ſingularibus illis viris Sa-“
mueli & Auguſtino, magnanimitate, doctrina,“
autoritate non ſis æqualis: modo Chriſtianus“
ſis, & Filii DEI meritum ad te pertinere didi-“
ceris, eximium & pietatis paternæ & tuæ in-“
duſtriæ fructum es conſecutus. Accedat igitur“
ad rectam parentum voluntatem, & curam an-“
xiam, filii quoque minime obſtinatus aut perti-“

nax“

„nax animus, & qui capere virtutis præmia vult,
„ea non tantummodo extrinſecus quærat, & alio-
„rum ornamentis ſe veſtiat: verum etiam de
ſuo labore & ſudoribus arduum aliquid & præ-
ſtans afferat atque adjungat. Itaque puerum, qui ad ſpem Eccleſiæ aut Reipublicæ in literis & artibus educatur, initio conſiderare decet, quantum ipſius humeris onus imponatur: aut ſi per annos nondum id videt, bene monentium voces & conſilia admittat: tum ſi ætate plus ſapere incipit, dare eum operam oportet, ut aptus aliquando ſit ad ea munera tractanda & exequenda, ad quæ DEUS unumquemque vocare, & tanquam in præſidio collocare ſuo tempore ſolet. Qui in agro ſulcum transverſum ducit, errat quidem ille & (ut loquuntur veteres) delirat magnopere: ſed error iſte correctu eſt facillimus. Similiter, qui male conſuit togam aut calceum, ſuo peccat opifici, & peccat detrimento non magno. At qui perverſe & impie ſentit, in Eccleſia, in curia, in foro, in ludo literario; DEUM immortalem! quot ille hominum delinquit incommodo atque periculo? Itaque ament pueri diſciplinam, audiant admonitiones, objurgationes ferant, diſcant ſtudioſe artes & linguas, exerceant ſe in animi corporisque patientia ac labore, ſentire idem aſſueſcant, modo vere ſentiant, finem ſtudiorum conſtituant bonum & laudabilem, DEUM vero ante omnia noverint & invocent: proficiſci ab „
eo bona univerſa ſciant: ea ſibi promiſſa expe- „
ctent: dari petentibus ne dubitent: pro acce- „

ptis

„ptis demum gratias agant. Hæc veriſſima ſtatuimus eſſe fundamenta & adminicula, quibus & morati fiant liberi, & quibus retineantur, ut ſint frugi. Noſtrum hoc amborum judicium in hujus libelli editione extare volui, ut noſtri aliquando filii ſe recte facere ſciant, & ex parentum ſententia, ſi hæc præcepta cum memoria repetant, & ſtudia pietatis ac literarum magnificent. Vale, Miſenæ Hermundorum e ludo Illuſtri, IV. Idus Martii, Anno redemti Mundi 1557.

Digitized by Google

IN OPUSCULI HUJUS COMMENDATIONEM.

EPIGRAMMA

NATHANIS CHYTRÆI.

QUid puerum bene moratum, ſermone Latinum
Et vero faciat corde animoque pium,
Prudentem quid dedeceat deceatve Magiſtrum,
Melliflua liber hic cum gravitate monet.
Qui ſi acri ſtudio ſæpe evolvetur utrisque,
Non labor hic expers utilitatis erit.

MA-

Digitized by Google

MATURINI CORDERII
COLLOQUIORUM SCHOLASTICORUM
LIBRI V.
AD PUEROS LATINO SERMONE QUOTIDIANO FRUCTUOSE EXERCENDOS.
LIBER PRIMUS.
COLLOQUIUM I.
SUMMULA.

Finis Scholaſticorum Colloquiorum: Latinitas & mutua informatio.

BERNARDUS CLAUDIUS.

SAlve Claudi. *C.* Tu quoque ſalvus ſis, Bernarde. *B.* Ludamus pauliſper. *C.* Quid ais, ineptule? Vix Scholam ingreſſus es, & jam de ludo loqueris. *B.* Ne iraſcaris quæſo. *C.* Non iraſcor. *B.* Quid ergo ſic exclamas? *C.* Accuſo tuam ſtultitiam. *B.* Non licet igitur ludere? *C.* Imo licet: At quum tempus eſt. *B.* Vah tu nimium ſapis. *C.* Utinam tantum ſaperem ſatis; Sed mitte me, quæſo, ut repetam, quæ mox reddenda erunt Præceptori.

Digitized by Google

B. Æquum dicis; volo ego quoque tecum repetere, ſi tibi placet. *C.* Eho, quid hoc eſt? Quid ſibi vult iſta tam ſubita mutatio? nonne tu modo loquebaris de luſu? *B.* Loquebar quidem: Sed non ſerio. *C.* Cur ſimulabas? *B.* Ut paucis tecum fabularer. *C.* quid iſtud prodeſt? *B.* Etiam rogas? Nunquam audiſti ex Præceptore? *C.* Nunc mihi non occurrit; quid, inquam, prodeſt confabulari? *B.* Ad nos in Latina lingua exercendos. *C.* Profecto recte putas: Et ego te nunc magis amo. *B.* Habeo tibi gratiam: age, repetamus prælectionem. Nam brevi Præceptor aderit.

COLLOQ. II.

Pueri cum pietatis in Deum & Præceptorem & domeſticos: tum continentiæ in jentando & ardoris in diſcendo: tum vero obſervantiæ in Præceptorem: Præceptoris autem in puerum fidei & comitatis exemplum. Dexteritatis quoque in docendo ac diſcendo Nomenclaturam.

STEPHANIO. PRÆCEPTOR.

SAlve Præceptor. *Pr.* Salvus ſis, mi Stephanio. Unde venis tam multo mane? *S.* E cubiculo noſtro. *P.* Quando ſurrexiſti? *S.* Paulo ante ſextam, Præceptor. *P.* Quid ais? *S.* Sic eſt, ut dico. *P.* Tu nimis es matutinus: quis te expergefecit? *S.* Frater meus. *P.* An precatus es Deum? *S.* Quamprimum frater me pexuit, precatus ſum. *P.* Quomodo? *S.* Flexis genibus & conjunctis manibus dixi precationem Dominicam cum gratiarum actione. *P.* Qua lingua?

S. Ger-

Digitized by Google

S. Germanica. *P.* O factum bene! quis te miſit ad me! *S.* Nemo. *P.* Quis ergo? *S.* Ultro veni. *P.* Mi animule, quam pulchrum eſt ſapere! Nonne eſt jentandi tempus? *S.* Nondum eſurio. *P.* Quid vis igitur? *S.* Volo reddere nomina quotidiana, ſi tibi placet audire me. *P.* Quidni placeret? Tenes igitur memoria? *S.* Teneo, gratia Deo. *P.* Age pronuncia. *S.* Sed mihi ſoles præire Germanice, & ego Latine reſpondeo. *P.* Bene mones: pene iſtud oblitus eram. Reſponde igitur. *S.* Expecto, ut proponas. *P.* Das Haupt. *S.* Caput. *P.* Der Wirbel. *S.* Vertex. *P.* Das Vordertheil am Haupt. *S.* Sinciput. *P.* Das Hintertheil am Haupt. *S.* Occiput. *P.* Nunc reſponde Germanice. *S.* Faciam. *P.* Caput. *S.* Das Haupt. *P.* Vertex. *S.* Der Wirbel. *P.* Sinciput. *S.* Das Vordertheil am Haupt. *P.* Occiput. *S.* Das Hintertheil am Haupt. *P.* Quid ſi nunc ſolus dicas omnia? *S.* Facile dicam. *P.* Ego vero te libenter audiam. *S.* Das Haupt, Caput, der Wirbel, Vertex, das Vordertheil am Haupt, Sinciput, das Hintertheil am Haupt, Occiput. Nonne bene dixi, Præceptor? *P.* Quam optime. *S.* Laudetur Dominus DEUS. *P.* O pulchrum verbum! Ito nunc petitum ab ancilla jentaculum. *S.* Malim abs te accipere, Præceptor, ſi tibi non eſt moleſtum. *P.* O quam te amo de iſto verbo! age, ſequere me, dabo tibi aliquid boni: quia tuum recte feciſti officium. Quid eſt hoc? *S.* Panis candidus, weiß Brod. *P.* Quid hæc ſunt? *S.* Ficus aridæ, dürre Feigen. *P.* Numera. *S.* Una,

duæ, tres, quatuor, quinque, ſex. *P.* O lepidum capitulum! jenta nunc otioſe.

COLLOQ. III.

Jentandi familiaritas.

ALBERTUS. BASILIUS.

VIs jentare mecum? *B.* Non habeo jentaculum. *A.* Quid? non attuliſti? *B.* Domi jentaveram. *A.* Itane ſemper facis? *B.* Minime: ſed quia bene mane ſurrexeram, ſic matri placuit me tractare. *A.* Proſit tibi: ego igitur ſolus jentabo. *B.* Et ego interim ſtudebo.

COLLOQ. IV.

1. *Pædagogii officium, repoſcentis audita: præmonen-*
2. *tis vitanda: providentis audienda. Pueri ſtudium*
3. *obedientis, ruminantis verba, mores, curam omnem,*
4. *ad honeſti & veri normam ac docentis nutum & ve-*
5. *nerationem dirigentis. Formula repetendi Conjugationes.*

PÆDAGOGUS. PUER.

1. ESne paratus ad reddendam ſtudii tui rationem? *Pu.* Paratus, ut mihi videor. *Pæ.* Redde igitur & eſto præſenti animo. *Pu.* Hoc matutino tempore primum pronunciavimus carmen ex Catone: deinde ejus interpretationem Latine & Germanice reddidimus: poſtremo bini tractavimus ſingulas partes Orationis, cum attributis & ſignificatione. *Pæ.* Rectene feciſti officium tuum? *Pu.* Puto me ſatisfeciſſe Præceptori magna ex parte. *Pæ.* Vide, ne mentiaris. Nam ego illum percontabor. *Pu.* Ut voles. Præceptorem nihil in hac re metuo. *Pæ.*

Age

Age pergamus. Meridie quid habetis reddere? *Pu.* Habemus declinare Verbum Poſſum, Latine & Germanice. *Pæ.* Nihil præterea. *Pu.* Nihil. *Pæ.* Alias te illud docui; Tenesne memoria? *Pu.* Non auſim affirmare, donec tentavero. *Pæ.* Declina in primis perſonis, cætera tibi erunt facillima.

Pu. Indicativus, poſſum, ich kan, poteram, ich konte, potui, ich habe gekont, potueram, ich hatte gekont, potero, ich werde können.

Imperativus deeſt.

Optativus, utinam poſſim, ach daß ich könne, utinam poſſem, ach daß ich könte, utinam potuerim, ach daß ich hätte gekont, utinam potuiſſem, ach daß ich hätte vorlängſt gekont.

Subjunctivus, ut poſſim, daß ich könne, ut poſſem, daß ich könte, quamvis potuerim, wiewol ich hätte gekont, quamvis potuiſſem, wiwol ich vor längſt hätte gekont, quum potuero, wenn ich werde können. *Pæ.* Declina totum Infinitivum.

Pu. Infinitivi modi Præſens & Præteritum Imperfectum, poſſe, können, Præteritum Perfectum & Plusquamperfectum, potuiſſe, gekont haben. Cætera deſunt. *Pæ.* Cur hoc verbum POSSUM caret Futuro indefinito? Cur item Participio in rus? *Pu.* Quia non habet Supinum. *Pæ.* Quid tum? *Pu.* Illæ enim voces a Supino formari ſolent. *Pæ.* Da exemplum in aliquo Verbo integro? *Pu.* Ut a Supino lectum fit lecturus. Et a lecturus fit lecturum eſſe. *Pæ.* Recte ſane

Digitized by Google

Sed cur prætermiſiſti Participium Præſens a Verbo Poſſum, quum ſit in uſu, Potens, Potentis? *Pu.* Quia (ut ſæpe nos docuiſti) Potens non eſt Participium, licet a Poſſum veniat. *Pæ.* Quid ergo eſt? *Pu.* Nomen Adjectivum. *Pæ.* Probe meminiſti: Utinam ſic pergas ſemper. *Pu.* Spero indies meliora, per Dei gratiam. *Pæ.* Ego quoque idem tecum ſpero. Nunc reſtat, ut dicas Præteritum cum prole. *Pu.* Potui, Potueram, Potuerim, Potuero, Potuiſſem, Potuiſſe. *Pæ.* Dic Terminationes. *Pu.* Ram, rim, ſem, ro, ſe. *Pæ.* Dic Significationem. *Pu.* Poſſum, ich kan, Poſſe, können. *Pæ.* Hactenus. Ecce! Vocamur ad prandium.

COLLOQ. V.

Prandii tempus ex animo parentum. Curioſitas vitanda.

CONRADUS. DANIEL.

QUando vis prandere? *Dan.* Ego jam prandi. *Con.* Quota hora? *D.* Seſquioctava. *C.* Tam mane igitur prandiſti? *D.* Sic fere ſolemus æſtate: Vos autem? *C.* Non prandemus ante ſeſquidecimam, interdum ab undecima. D. Papæ! cur non citius? *C.* Expectandus eſt pater, dum a curia redierit. *D.* Tu igitur non potes adeſſe in aula in cantione Pſalmorum. *C.* Raro admodum interſum. *D.* Quomodo excuſaris? *C.* Exemtus ſum illo munere. *D.* Quis te exemit? *C.* Didaſcalus, patris mei monitu. *D.* Ergone omnes Senatorum filii habent ejusmodi privilegium? *C.* Habent, modo Patres jubeant.

D. Non-

D. Nonne Mater poſſet tibi dare prandium ante reditum patris e Senatu? *C*. Poſſet quidem; ſed pater vult a me expectari. *D* Quamobrem? *C*. Quia ſic illi placet. *D* Nunc mihi tacendum eſt. Os enim mihi occluſiſti. *C*. Cur es tam curioſus percontator? *D*. Puer ſum, & pueri ſemper cupiunt aliquid ſcire novi. *C*. Fateor: ſed eſt modus in rebus, ut Præceptor nos ſæpe docet. *D*. Ergo diſcedamus, ut te pranſum conferas. *C*. Ignoſce quæſo, ſi qua in re te offenderim. *D*. Ego abs te idem peto. *C*. Ego, inquam, potius, qui te offendere potui loquacitate mea, ſed interim nihil mali cogitans.

COLLOQ. VI.

Impenſæ victus aliis magis, quam aliis propitiæ.

FRANCISCUS. GERHARDUS.

UBi hodie cibum accepiſti? *G*. Apud hoſpitem meum. *F*. Quanti prandiſti? *G*. Sex quadrantibus. *F*. Quid? Cœna quanti conſtitit? *G*. Tantidem. Tu vero quanti aleris quotidie? *F* Pluris quam tu. *G*. Quanti igitur? *F*. Quatuor aſſibus.

COLLOQ. VII.

Puerilis incuria excuſabilis, modo emendabilis.

CONRADUS. CAROLUS.

UNde nunc redis? *Car*. Foris. *Con*. Cur prodieras? *Car*. Ut irem domum. *Con*. Quid eo? *Car*. Petitum libros meos. *Con*. Eho, cur non attuleras? *Car*. Oblitus eram. *Con*. Siccine ſoles jentaculum, aut merendam obliviſci? *Car*. Rariſſime. *Con*. Profecto magna fuit negligentia.

Digitized by Google

tia. *Car.* Immo maxima: Sed quid agas? Pueri ſumus. *Con.* Quid ſi Præceptor tuum factum ſciret? *Car.* Fortaſſe pœnas darem. *Con.* Ain tu fortaſſe? procul dubio vapulares. Non te pudet ſine libris in Scholam venire? *Car.* Non ſolum pudet, ſed piget etiam: Veruntamen ne me accuſes, obſecro. *Con.* Nihil minus cogito: Sed non poſſum diſſimulare, quin te reprehendam. *Car.* Iſtud (credo equidem) amice facis. Itaque boni conſulo. *Con.* Id ſatis eſt mihi. Eamus intro in auditorium. *Car.* Tempus eſt: jam decuriones exigunt ſcripturæ rationem.

COLLOQ. VIII.

Parvulus puer ludendi copiam ſibi & condiſcipulis imperrat: Sed ob diſcendi alacritatem. (Quintilianus:) Non me offenderit luſus in pueris.

PUER. PÆDAGOGUS.

Præceptor licetne pauca? *Pæd* Loquere audacter. *Puer.* Ego & condiſcipuli mei hoc fere toto triduo libris affixi fuimus: Licetne animum ludo relaxare? *Pæd.* Dic igitur aliquam ſententiam? *Puer.*

Interpone tuis interdum gaudia curis,
Ut poſſis animo quemvis ſufferre laborem.

Pæd. Dic etiam verſus Germanicos, ſi memoria tenes? *Puer.*

Dein Sorg und Müh' mit Freud vermiſch,
Die dich zur Arbeit mache friſch.

Pæd. Quam recte dixiſti omnia. *Puer.* Eſt Deo gratia. *Pæd.* Addendum poſthac erit aliquid. *Puer.* Quidnam, Præceptor? *Pæd.* Qui dedit mihi

hi ingenium & mentem bonam. *Puer.* Sed quis docet me illa verba? *Pæd.* Ea ſcribam tibi in commentariolo tuo, ut ediſcas. Sed dic mihi quæſo, quis te docuit iſtam orationem, quam pronunciaſti? *Puer.* Johannes heri dedit mihi ſcriptam, & memoriæ mandavi. *Pæd.* Profecto ego te amo mi Daniel ob iſtam diligentiam. *Puer.* Ago tibi gratias, Præceptor. Permittisne igitur ut ludamus? *Pæd.* Sane. Abi, renuncia condiſcipulis tuis. *Puer.* Faciam. *Pæd.* Quid dices illis? *Puer.* Id quod me docuiſti aliquando. *Pæd.* Sed volo prius ex te audire. *Puer.* Gaudete pueri: en affero vobis jucundum nuncium. Impetravi vobis ludendi poteſtatem. *Pæd.* Euge meminiſti. Ito nunc jam.

COLLOQ. IX.

Mutua repetitio privata, quæ tam in magnis, quam in parvis, tum utilis, tum neceſſaria. Utinam ætate & doctrina provecti hoc imitarentur exemplum. Nam nihil agit radicem in animo, niſi repetitionis foveatur calore: quo & tenendi memoria & reddendi facuncundia vegetatur.

CONRADUS. DANIEL.

REpetamus nomina quotidiana, ut rectius reddamus ea Præceptori. *Dan.* Bene mones, præito mihi heſterna.

Con. Dic latine ein Auge. *Dan.* Oculus. *Con.* Das rechte Auge. *Dan.* Oculus dexter. *Con.* Das lincke Auge. *Dan.* Oculus ſiniſter. *Con.* Beyde Augen. *Dan.* Ambo oculi. *Con.* Probe tenes. *Dan.* Nunc audi, ut recte ſolus dicam. *Con.*

 Age

Age audio. *D.* Ein Auge. *C.* Debes enumerare in digitis, ut docet Præceptor. *D.* Quid prodeſt illud? *C.* Ad memoriam juvandam. *D.* Qvid hoc ſibi vult? *C.* Non audiviſti ſæpiſſime? *D.* Sum oblivioſus: quid agerem? *C.* O eſto diligentior ad ea retinenda, quæ perceperis! *D.* Quod me fideliter mones, pergratum facis.

C. Age, ad rem redi.

D. Ein Auge, Oculus.
Das rechte Auge, Oculus dexter.
Das lincke Auge, Oculus ſiniſter.
Beyde Augen, ambo Oculi.

C. Quam recte omnia dixiſti. *D.* Repetamus etiam hodierna. *C.* Placet, at tu viciſſim præito mihi.

D. Eine Hand. *C.* Manus.
D. Die rechte Hand. *C.* Manus dextra.
D. Die lincke Hand. *C.* Manus ſiniſtra.
D. Beyde Hände. *C.* ambæ Manus.

D. Reſtat, ut ſolus dicas.

C. Eine Hand, Manus.
Die rechte Hand, Manus dextra.
Die lincke Hand, Manus ſiniſtra.
Beyde Hände, ambæ Manus.

D. O ſi tam bene diceremus coram Præceptore! *C.* Quid obſtat? *D.* Quia timemus. *C.* Et tamen errata noſtra ſatis humaniter corrigit. *D.* Neſcio, quid hoc ſibi velit; ego ſemper ſum timidus in principio. *C.* Iſtud eſt quodammodo naturale omnibus: ut audivimus ex Præceptore.

D. Nunc

D. Nunc repetendum eſſet Latine & Germanice; Sed Præceptorem venientem video. *C.* Ingrediamur.

COLLOQ. X.

Repetitio Etymologica.

ABRAHAM. BENEDICTUS.

DIc Latine, laſt uns mit einander die Lection repetiren. *B.* Repetamus una prælectionem. *A.* Hæc oratio quot habet partes? *B.* Tres. *A.* Diſcerne ſingulas nominatim. *B.* Repetamus, eſt Verbum: unà, Adverbium: prælectionem, Nomen. *A.* Declara paulo plenius. *B.* Tu igitur præito mihi, ut ſolet Præceptor. *A.* Repetamus. *B.* Repeto, repetere Conjugationis tertiæ; ſicut lego, legis, legere; Participia repetens & repetiturus. *A.* Unà *B.* Non declinatur, quia eſt Adverbium hoc loco, Germanice, mit einander. *A.* Prælectionem. *B.* Prælectio, prælectionis, g. f. Lection.

COLLOQ. XI.

Repetitio mutua efficacior ſolitaria.

AMBROSIUS. BASILIUS.

EAmus una repetitum. *B.* Quid ergo repeterem? Nonne ſatis eſt, quod ſolus repetiverim? *A.* Si tantum ſemel aut bis repetieris, id parum eſt ad diſcendum. *B.* Immo circiter decies repetivi. *A.* Ne id quidem ſufficit. *B.* Quid igitur vis amplius? *A.* Si vis certiſſime reddere coram Præceptore, opus eſt cum aliquo repetiviſſe. *B.* Iſtud ego neſciebam: Sed tibi libenter

aſſen-

Digitized by Google

aſſentior. *A.* Faciamus ergo, quod ego te monebam. *B.* Equidem non recuſo: incipe.

COLLOQ. XII.

Repetitio Proſodica & Orthographica, lectionis & pronunciationis, & hujus utilitas.

GEORGIUS. ISAACUS.

TEnes memoria prælectionem? *Iſ.* Propemodum. *Georg.* Visne repetamus una? *Iſ.* Maxime velim. *G.* Incipe igitur. *Iſ.* Faciam libenter, ſed tu attente audi, ut me corrigas, ſi quid erravero. *G.* Agedum. *Iſ.* Fac ſumtum propere. *G.* Jam erraſti, incipiendum ab heſterna. *Iſ.* Bene admones: nunc incipiam. Iratus de re incerta contendere noli. Impedit ira. *G.* Peccas accentu: itera. *Iſ.* Impedit ira animum, ne. *G.* Diſtingue poſt animum. *Iſ.* Impedit ira animum, ne poſſit cernere verum. Fac ſumtum propere, quum res deſiderat ipſa, dandum etenim. *G.* Iterum peccas accentu: repete. *Iſ.* Dandum etenim eſt aliquid, quum tempus poſtulat aut res. *G.* Videsne, te erraviſſe quater? *Iſ.* Video. *G.* Et obſervaſti loca? *Iſ.* Obſervavi. *G.* Sic tibi facilius cavebis. *Iſ.* Me miſerum! putabam me recte tenere. *G.* Sic mihi quoque ſolet accidere, quoties memoria non eſt bene confirmata. *Iſ.* Felix, qui memoriam bonam habet. *G.* Magnum Dei beneficium. Sed tempus abit: audi nunc me. *Iſ.* Audio, pronuncia. *G.* Iratus de re incerta contendere noli. *Iſ.* Hem Præceptor adeſt! tace, ut illum ſalutemus.

COL-

COLLOQ. XIII.

Abſentia a ſchola diſcipuli corrigenda, cura neglectiones compenſandæ.

CLEMENS. FELIX.

NIhilne eſt, quod reddamus hodie Præceptori? *F.* Nihil niſi de Grammaticæ rudimentis. *C.* Quidnam? *F.* Inſpice librum tuum: Invenies notas in quinque lectiones, quas Præceptor nobis præſcripſit. *C.* Quando iſtud fuit? *F.* Die Veneris hora quarta. *C.* At ego tunc non interfui. *F.* Ergo plagas meruiſti. *C.* Siccine judicas, ſevere judex? occupatus eram domi, nec abieram injuſſu Præceptoris. *F.* Eſto; ſed tamen debuiſti poſtridie quærere, quid pridie actum eſſet. *C.* Meam culpam confiteor; ſed cedo librum tuum quæſo, ut videam, quid nobis reddendum ſit. *F.* Accipe, & eadem opera ſignato, quæ a Præceptore nobis præſcripta ſunt. *C.* Faciam diligenter, neque (ut ſpero) me accuſabis negligentiæ.

COLLOQ. XIV.

Abſentiæ remedium. Plato 7. de Republ. vult, diſcentem eſſe φιλομαθῆ, φιλήκοον, ζητητικόν, *Cupidum diſcendi, inquirendi, auſcultandi.*

CHRISTOPHORUS. ONESIMUS.

QUid actum eſt in auditorio hora tertia? *On.* Tractatæ ſunt orationis partes ex prælectione. *C.* Nihilne amplius? *O.* Dixiſſem, niſi me interpellaſſes. *C.* Erravi, perge. *O.* Poſtea dictavit Præceptor argumentum Germanicum hodie vertendum. *C.* Quando reddendum? *O.*

Cras

Cras meridie. *C.* Jamne vertiſti? *O.* Utcunque. *C.* Dicta mihi, quæſo, vernaculum. *O.* Excipe, feſtina, nam habeo ſcribere aliquid.

COLLOQ. XV.

Repetitio privata, de emolumento & modo hujus.

STEPHANUS. GEORGIUS.

QUid agis? *G.* Repeto mecum. *S.* Quid repetis? *G.* Præſcriptum hodiernum Præceptoris. *S.* Tenesne memoria? *G.* Sic opinor. *S.* Repetamus una, ſic uterque noſtrum rectius pronunciabit coram Præceptore. *G.* Tu igitur incipe; qui me provacaſti. *S.* Age, attentus eſto: ne me ſinas aberrare. *G.* Sum promptior ad audiendum, quam tu ad pronunciandum.

COLLOQ. XVI.

Idem cum proximo ſuperiore.

ANTONIUS. CHRISTIANUS.

VIsne mecum repetere prælectionem? *C.* Volo. *A.* Tenesne? *C.* Non ſatis recte fortaſſe. *A.* Age faciamus periculum. *C.* Quid igitur expectamus? *A.* Ubi voles, incipe. *C.* Atqui tuum eſt potius incipere. *A.* Quid ita? *C.* Quia me invitaſti. *A.* Æquum dicis, attende igitur. *C.* Iſthic ſum.

COLLOQ. XVII.

Licet confabulari, animi gratia: ſed otioſis de diſcendi opera: deque animadverſione cenſoris.

CASIMIRUS. SAMUEL.

JAmne tenes, quæ reddenda ſunt hora tertia? *S.* Teneo. *C.* Ego quoque. *S.* Ergo confabulemur

lemur pauliſper. *C.* Sed ſi intervenerit obſervator, putabit nos garrire. *S.* Quid times, ubi nihil timendum eſt? Si venerit, non deprehendet nos in otio, aut in re mala: Audiat, ſi velit, noſtrum colloquium. *C.* Optime loqueris: ſecedamus aliquo in angulum, ne quis nos impediat.

COLLOQ. XVIII.

Omne tempus impendendum literis: non aut otio aut garritu conſumendum.

THEOPHILUS. MARTINUS.

NOn decet hic otiari, aut garrire, dum Præceptor expectatur. *M.* Quid ais? Non decet? Immo vero non licet: niſi volumus vapulare. *T.* Tu igitur audi me, dum prælectionem pronuncio: Ego deinde te audiam. *M.* Age pronuncia.

COLLOQ. XIX.

Scripturientes.

EUSEBIUS. FRIDERICUS.

CUr non ſcribis? *F.* Jam ſcripſi meam paginam. Tu vero? *E.* Eo, ſcriptum in area. *F.* Quid ita? *E.* Quia ſerenum eſt cœlum. *F.* Feſtina; tempus abit, & mox exigetur ratio.

COLLOQ. XX.

Exſcribentis mutuatitia opera, ſed opportuna.

TITUS. VALERIUS.

CUr non ſcribis? *V.* Quia non libet. *T.* Atqui Præceptor juſſerat. *V.* Scio; ſed eſt mihi aliquid legendum prius: præterea nihil habeo, quod nunc ſcribam. *T.* O ſi velles mihi ſcribere!

re! *V.* Quidnam? *T.* Habeo deſcribenda dictata Præceptoris. *V.* Quæ dictata? *T.* In Ciceronis Epiſtolas. *V.* Libenter deſcribam tibi. Sed expecta feriarum diem proximum. *T.* Expectabo igitur: Sed ne fallas, quæſo. *V.* Nec ſciens nec volens fallam.

COLLOQ. XXI.

Commodatio deſcriptionis & codicis amica & licita, ac vacans abuſione.

DAVID. AUGUSTUS.

VIſne mihi ſcribere prælectionem? *A.* Cur non habes? *D.* Quia heſterno die fui occupatus. *A.* Accipe librum meum, deſcribe. *D.* Non ignoras, me lentius ſcribere, & tu citius totum deſcripſeris, quem ego quatuor aut quinque verſiculos. *A.* Quære tibi alium ſcriptorem: Nunc ego tibi non poſſum dare operam. *D.* Cur non? *A.* Eſt mihi aliud negotium, idemque perneceſſarium. *D.* Nolo te urgere, nec poſſum quidem: ſed ſaltem commoda tuum codicem. *A.* Accipe, utere, ut libet, modo ne abutare. *D.* Nihil eſt, quod hic verearis.

COLLOQ. XXII.

Nil ſine Præceptoris venia.

AUGUSTINUS. OBSERVATOR domeſticus.

LIcetne ire cubitum, condiſcipuli? *O.* Cur ante horam? *A.* Quia tertia eſt mihi ſurgendum. *O.* Quamobrem? *A.* Scribendi cauſa. *O.* Quid ſcripturus es? *A.* Literas ad patrem. *O.* Cur non petis

petis a Præceptore veniam? *A.* Bene mones: Eſtne in muſeolo? *O.* Puto eſſe, viſe.

COLLOQ. XXIII.

Quidam puer ſtudere mavult, quam ludere. Exemplum in pueris rariſſimum.

PÆDAGOGUS. PUER.

UNde venis? *Pu.* Venio inferne. *Pæ.* Quod erat tibi negotium infra? *Pu.* Iveram redditum urinam. *Pæ.* Sede nunc ad menſam, & mane in cubiculo, donec rediero. *Pu.* Quid agam interea? *Pæ.* Ediſce prælectionem in diem craſtinum, ut eam mihi reddas ante cœnam. *Pu.* Jam edidici, Præceptor. *Pæ.* Lude igitur. *Pu.* Sed nullos habeo colluſores. *Pæ.* Satis multos invenies in hac vicinia, ex tuis etiam condiſcipulis. *Pu.* Nihil id curo: nunc malim (ſi tibi placet) ediſcere de Catechiſmo in diem Dominicam. *Pæ.* Ut libet. *Pu.* Si quis te quæret, quid illi dicam? *Pæ.* Dic, me prodiiſſe, ſed mox reverſurum.

COLLOQ. XXIV.

1. Prodeſt ambulatio, & ejus finis & adjuncta corporis 2. 3. exercitatio ante cœnam. Solis injuriæ vitatio. 4. comitatus familiaris.

PÆDAGOGUS. ABRAHAMUS. Puer.

HEus Abraham! *A.* Hem Præceptor. *P.* 1.
Pone libros, jam ſatis toto die ſtuduiſti: Para 2.
te, ut eamus ambulatum. *A.* Nonne a cœna præſtaret?

Digitized by Google

ſtaret? *P.* Salubrior eſt ante cibum exercitatio corporis. *A.* Memini ex te audire. *P.* Narra Socratis dictum in eam ſententiam. *A.* Quum Socrates „usque ad veſperam contentius ambularet, interro„gatus, quare id faceret? reſpondit, ſe, quo meli„us cœnaret, obſonare famem ambulando. *P.* „Probe meminiſti: quis auctor? *A.* Cicero. Sed quonam prodibimus, Præceptor? *P.* Extra urbem. *A.* Mutabone calceos? *P.* Muta, ne iſtos
3. novos pulvere conſpergas. Sume etiam umbellam, ne ſolis ardor infuſcet tibi faciem. *A.* Jam paratus adſum. *P.* Nunc ſane prodeamus. *A.* Vocabone ex vicinia unum aut alterum comitem?
4. *P.* Recte admones. Sic enim jucundior erit deambulatio. Nam per viam ſermones inter vos conferetis, & in umbra colludetis alicubi. *A.* Sic etiam excitabitur cibi appetentia. *P.* Ego lento gradu præcedam: ubi nactus eris comites, vos me per portam Rhenanam ſequimini. *A.* Nos igitur illic expectabis? *P.* Certo. *A.* Quid ſi nullos invenero? *P.* Nihilominus ſequere me, audiſtin? *A.* Audivi, Præceptor.

COLLOQ. XXV.

Emtio chartæ.

HERMANNUS. GISEBERTUS.

A Quo emiſti iſtam chartam? *G.* A Franciſco. *H.* Eſtne bona? *G.* Melior quam iſta tua, ut opinor. *H.* Nihil miror. *G.* Cur iſtud dicis? *H.* Quia fortaſſe carior. *G.* Neſcio. *H.* Quanti emiſti

ſti ſcapum? *G.* Solido & ſemiſſe. Tu vero quanti? *H.* Solido & pluris. *G.* Quanti igitur? *H.* Quinque quadrantibus. *G.* Non male profecto emiſti. *H.* Quin etiam mercator dedit mihi auctarium. *G.* Quodnam, quæſo? *H.* Schedam chartæ bibulæ. *G.* O me imprudentem, qui oblitus ſum petere! *H.* Ego ne petivi quidem, ſed ultro ille dedit: Et hoc (inquiens) addo tibi, ut me reviſas. *G.* Sic ſolent emtores allicere. *H.* Nec mirum: ſuum quisque commodum quærit. Sed quid agimus, hodierni penſi immemores? *G.* Exiguum eſt: ſatis temporis nobis reſtat.

COLLOQ. XXVI.

1, 2. Mutui redditio. Libellus accepti atque expenſi.

ANSHELMUS. FONTANUS.

1. MEminiſtine, me tibi nuper dediſſe chartam mutuo? *F.* Quidni meminerim? Non adeo ſum obliviosſus. *A.* Quot erant ſchedæ? *F.* Quatuor. *A.* Cur non reddidiſti? *F.* Expectavi, dum haberem codicem. *A.* Habuiſtine tandem? *F.* Tantum hodie. *A.* Ubi? *F.* In Bibliotheca ejus. *A.* Quid ille? deditne libenter? *F.* Miſit me ad Hypodidaſcalum, qui ſtatim dedit codicem. *A.* Non ante in ſuum codicem retulit? *F.* Nihil dare ſolet, quin prius inſcribat. 2.
A. Audivi ex patre, id eſſe viri prudentis. *F.* Præſertim ſi reddenda eſt ratio. *A.* Sed quibus indiciis dare tibi auſus eſt? *F.* Oſtendi illi manu mea ſcriptum in libello meo. Sic enim (ut ſcis)

facere ſolemus. *A.* Reddas ergo mihi mutuum. *F.* A prandio ſtatim, ne dubites.

COLLOQ. XXVII.

1. 2. Emtio pennarum. Licitatio inter emtorem
3. ac venditorem, utriusque cautio, pennarum delectus.

FRANCISCUS. MARIUS.

PEnnæ iſtæ, quas circumfers, ſuntne venales? *M* Etiam; ſi ſe emtor obtulerit. *F.* Oſtende:
1. vah! quam ſunt molles. *M.* Tales deciderunt ex alis noſtrorum anſerum. Sed tenta diligenter. Sunt enim aliæ aliis firmiores. *F.* Satis video, quales ſint. Quot vis dare pro quadrante? *M.* Tantum ſex. *F.* Quid ais ſex? mallem emere a mercatoribus, qui Colonia & Francofurto huc afferunt. *M.* Quaſi neſciam, quanti vendantur. Audivi ex fratre, qui dat operam Scribæ hujus civitatis, ſe emiſſe Coloniæ ſingulis aſſibus. *F.* Aliter Coloniæ, aliter Argentinæ vivitur. Sed non opus eſt tot verbis, vis dare duodecim? *M.* Hui duodecim! quaſi ego furatus ſim. *F.* Iſtud non dico, ſed vide, num tibi placeat conditio. *M.* Vis, uno verbo dicam. *F.*
2. Dic quæſo, ſatis jam garritum eſt. *M.* Dabo tibi novem, modo promiſcue de mea manu accipias. *F.* Nugas ais. Ego ſine delectu nollem accipere quindecim. Vale. Alibi inveniam ſatis. *M.* Per me licet. Heus, heus redi. *F.* Cur me revocas? *M.* Accipe, ſi vis octo, nec a me plures
3. expecta. *F.* Cede totum faſciculum, ut deligam ar-

Digitized by Google

arbitratu meo. *M.* Tene, delige, ut voles. *F.* Vide nunc, &, ſi libet, numera. *M* Sunt viginti quatuor: conſtat numerus. Sed miror, te nullas accepiſſe ex ala extrema, ſunt enim firmiores. *F.* Scio, ſed habent caulem breviorem: Accipe pretium. *M.* Bene vertat DEUS utrique noſtrum. *F.* Idem tecum opto atque precor. Sed quando afferes meliores pennas? *M.* Neſcio, an meliores poſſim. Sed, ut ſpero, brevi plures afferam, quum ad nos domum proficiſcar. *F.* Suntne vobis multi anſeres? *M.* Triginta & amplius. *F.* Papæ! quantus grex anſerum! Ubi paſcuntur? *M.* Scies alias? non licet mihi diutius hic morari. Vale Franciſce. *F.* Cura, ut valeas, Mari.

COLLOQ. XXVIII.

Commodantis cautio.

OTTOMANNUS. PHILIPPUS.

VIſne mihi dare unicam pennam? *P.* Non ſic dantur mihi. *O.* Hem, rem tantillam mihi negas? Quid ſi magnum quid rogarem? *P.* Fortaſſe repulſam ferres. *O.* Credo equidem. Age, non peto dono, ſaltem commodabis. *P.* Non recuſo, modo ne abutare. *O.* Non abutar. *P.* Cave hinc pedem moveas. *O.* Nuſquam moveo.

COLLOQ. XXIX.

Præparatio pennæ ſcriptoriæ.

MATERNUS. BERNARDUS.

ACuiſtine pennam meam? *B.* Jamdudum. *M.* Qua

M. Qua forma ſcripturæ? *B.* Mediocri. *M.* Maluiſſem ad minutas literas. *B.* Debuiſti prædicere. *M.* Oblitus eram. *B.* Parum refert, mucronem facile mutabo. I petitum ſcalpellum. *M.* Sed ubi reliquiſti? *B.* Super menſam hypocauſti. *M.* In qua parte? *B.* Ubi ſtudere ſoleo.

COLLOQ. XXX.

1. Inſerviendi ſtudium, nec ulciſcendi: Diſcendi 2. a parvis.

J. P.

HAbesne duas aut tres pennas? *J.* Sunt mihi tantum duæ. *P.* Da mihi unam commodato. *J.* Non faciam. *P.* Cur non? *J.* Ne abutaris. *P.* Memineris: Fortaſſe aliquando me fruſtra rogabis aliquid. *J.* Atqui jubet Chriſtus malum bono compenſare. *P.* Nondum iſtud didici. *J.* Tamen diſcas oportet, ſi cupis eſſe Chriſti diſcipulus. *P.* Quid cupio magis? *J.* Diſce igitur magiſtrum imitari. *P.* Diſcam progreſſu temporis. *J.* Præſtaret nunc incipere, dum per tempus licet. *P.* Nimis urges: nondum complevi annum octavum, ut ait mater. *J.* Semper eſt bene agendi tempus: ſed interim ne mihi, quæſo, ſuccenſeas. Jocabar enim, ut te ad colloquendum invitarem tantiſper, dum ſumus otioſi: ecce, tibi penna, eaque non omnino peſſima. *P.* Reddam tibi ſtatim, quum aliquid deſcripſero. *J.* Nolo mihi reddas. *P.* Quid igitur faciam? *J.* Quidquid voles, a me etiam tibi dono datur. *P.* Gratiam habeo maximam.

COL-

COLLOQ. XXXI.

1. *Emtio & probatio ſcalpelli cibarii. Deo omnis bo-*
2. *nus eventus acceptus referendus.*

HENRICUS. GUALTERUS.

UNde redis tam anhelus? *G.* A foro. *H.* Quid illinc affers? *G.* Scalpellum. *H.* Quanti emiſti? *G.* Duobus aſſibus. *H.* Eſtne bonum? *G.* Eſt e Gallia, ut dixit mercator: vide notam. *H.* Ego minime novi, ſed tu non ſatis prudenter facis, quod fidas cuilibet mercatori. *G.* Quid facerem? *H.* Debuiſti aliquem peritum adhibere, qui tibi optimum eligeret. *G.* Hic erravi, fateor, ſed hoc me conſolatur, quod mercator habetur vir bonus, utpote profeſſionis Evangelicæ. *H.* Quaſi nulli ſint fallaces ejusmodi. *G.* Puto eſſe plurimos. Sed hæc omittamus, quin potius experiamur ipſum ſcalpellum. *H.* Experientia docebit nos. *G.* Accipe & tenta, obſecro. Non enim probavi, niſi leviſſime, idque inter emendum. *H.* Papæ! quis te docuit tam prudenter eligere? *G.* Rogas? Non meminiſti Præceptorem nobis dicere tam ſæpe, Deum eſſe ſolum, qui bona doceat. *H.* Profecto hic optime te docuit. *G.* Ago illi ex animo gratias, & precor, ut me ſemper doceat parere ſuæ voluntati. *H.* Ego quoque idem precor, nec ſolum nobis, ſed etiam piis omnibus. *G.* Facis, ut pium decet puerum. Sed eſtne tempus, ut conferamus nos in auditorium? *H.* Sic eſt: Sume libros, & eamus una.

COLLOQ. XXXII.

Commodatio ſcalpelli ſcriptorii.

MICHAEL. RENATUS.

HAbesne ſcalpellum? *R.* Habeo. *M.* Oro te, commoda mihi parumper. *R.* Quando reddes? *M.* Quum primum duas pennas exacuero. *R.* Accipe; ſed ea lege, ut integrum reddas. *M.* Ea conditione acceptum intelligo, etiamſi non addidiſſes. *R.* Intelligenti (ut vulgo dicitur) pauca ſufficiunt.

COLLOQ. XXXIII.

Cautio emturi, ex loco, tempore, conſiliis amicorum. Pietas & inimicis optime conſulit.

SERVATUS. MANASSES.

EMiſtine ſcalpellum, ut nuper volebas? *M.* Non emi. *S.* Quid obſtitit? Dixeras enim mihi emturum te hodie. *M.* Dixeram quidem, ſed mihi poſtea in mentem venit, præſtare, ut expectem mercatum proxime futurum in hac ipſa urbe. *S.* Quid facies lucri? *M.* Et minoris emam, & melioris notæ? nempe ex Germaniæ inferioris officinis. *S.* Quis tibi iſtud conſilium dedit? *M.* Hieronymus noſter. *S.* Bene fecit. Debemus enim amicis bonum conſilium ſemper dare. *M.* Tantumne igitur amicis? *S.* Imo & inimicis, fateor; quia jubet Chriſtus, Præceptor noſter optimus. *M.* Utinam doctrinam ejus infixam memoriæ conſervemus, eamque perpetuo ſequamur! *S.* Faxit ille Spiritus bonus, cujus unius inſtinctu animi noſtri ad bene agendum accenduntur. M. *B*ene precaris.

COL-

Digitized by Google

COLLOQ. XXXIV.

Bibliotheca & librorum uſus.

CAROLUS. LAMPERTUS.

HAbesne multos libros? *L.* Non admodum. *C.* Sed quos habes? *L.* Rudimenta Grammaticæ, Colloquia Scholaſtica, Terentium, Epiſtolas Ciceronis cum Germanica interpretatione, Catonem, Dictionarium, Teſtamentum Germanicum, Pſalmos cum Catechismo. Præterea librum chartaceum ad ſcribendum dictata Præceptoris. Tu vero quos habes? *C.* Omnes habeo, quos enumeraſti, præter Catonem, Terentium & Ciceronis Epiſtolas. Cur enim libros haberem, qui non prælegantur in claſſe noſtra? *L.* At ego, dum ſumus otioſi, lego interdum illos, ut ſemper aliquid addiſcam novi, præſertim in lingua Latina & honeſtis moribus. *C.* Prudenter facis, mi Lamperte. O me miſerum, qui nunquam didici, quid ſit ſtudioſum eſſe. *L.* Diſce igitur. Præſtat enim ſero, quam nunquam diſcere.

COLLOQ. XXXV.

Prudentia ferendarum injuriarum non atrocium & tolerandorum nævorum, qui malitia vacant.

SIMON. HAGGÆUS.

COmmoda mihi Virgilium tuum in duos dies, ſi nullo incommodo tuo id fieri poteſt. *H.* Profecto non poſſum. *S.* Cur non? *H.* Quum Gerardus his diebus a me commodato accepiſſet, pignori opposuit. *S.* Ain tu pignori? *H.* Sic

eſt, ut dico. *S.* Quanti oppignoravit? *H.* Tribus (ut ait) aſſibus. *S.* O hominem ingratum! *H.* Tantumne ingratum? *S.* Imo vero & ingratum & malum. Sed numquid ille rem tuam oppignorare potuit te inconſulto? *H.* Potuit, ut factum vides. *S.* Non tamen debuit. *H.* Rem acu tetigiſti: Sed quid facerem? *S.* Rogas? Defer eum ad Præceptorem. *H.* Malo iſtam pati injuriam, quam committere, ut miſer vapulet. *S.* Bene facis, dummodo tuum reddat. *H.* Reddet, ſpero. *S.* Unde redderet? *H.* Ait, ſe brevi accepturum a patre pecuniam. *S.* Quid ſi te fallit? *H.* Fieri poteſt. Sed tamen aliquot dies expectabo, quid futurum ſit: deinde conſilium capiam. *S.* Conſilio recto nihil eſt tutius. *H.* Meminiſti probe. Sic enim Præceptor dictavit nobis. Sed numquid vis aliud? *S.* Ut bene tibi ſit. *H.* Et tibi optime.

COLLOQ. XXXVI.

Commodationis ratio & decus, vacans abuſione.

GRATIANUS. FORTUNATUS.

VIsne mihi commodare tuum Terentium? *F.* Volo equidem, modo illum repetas a Conrado, cui utendum dedi. *G.* Quo ſigno repetam? *F.* Nempe hoc, quod ejus habeo Epiſtolas. *G.* Id mihi ſatis eſt. *F.* Sed quando reddes? *G.* Quum deſcripſero contextum in tres aut quatuor prælectiones. *F.* Matura igitur, ne meo ſtudio incommodes. *G.* Maturabo. *F.* Sed heus tu, cave macules: Alioqui ægre commodabo poſthac. *G.* Nempe indignus eſſem beneficio.

COL-

COLLOQ. XXXVII.

Emtio libri. Jocus eludens ſtultitiam in quærendo. Jocandi modus.

AUGUSTINUS. ROBERTUS.

QUis iſte novus liber deauratus, quem tam magnifice oſtentas? *R.* Terentius. *A.* Ubi impreſſus? *R.* Lutetiæ. *A.* Quis tibi dedit eum? *R.* Emi pecunia. *A.* Unde nactus eras pecuniam? *R.* Stulte illud quæris: quaſi vero furatus ſim. *A.* Abſit me id cogitare: ſed animi cauſa id rogabam. *R.* Nec ego ſerio dictum tuum reprehendi; ſed eo more jocari ſolemus cum familiaribus. *A.* Nihil jocari prohibet, modo ne DEUS offendatur. Sed age, ad propoſitum revertamur: de quo emiſti Terentium iſtum? *R.* De Clemente. *A.* Illone bibliopola circumforaneo? *R.* Maxime. *A.* Quanti conſtitit? *R.* Decem aſſibus. *A.* Nihilne amplius? *R.* Nihil omnino. *A.* Profecto ſatis vile pretium. *R.* Præſertim quum auratus adeoque eleganter compactus ſit. *A.* Erantne codices alii ſimiles? *R.* Duo vel tres. *A.* Deduc me, quæſo, ad illum. *R.* Eamus.

COLLOQ. XXXVIII.

Inventio amiſſi, quod reſtitui ſuo Domino fas eſt. Legum æquitas eſt, non rigor. Par referre juſtum.

ALARDUS. BALTHASAR.

NOnne hic liber tuus eſt? *B.* Oſtende mihi? agnoſco meum. Ubi inveniſti? *A.* In Auditorio noſtro. *B.* Ago tibi gratias, quod eum collegeris, *A.* Atqui nunc notandus eſſes, ſi ſum-

ſummo jure vellem tecum agere. *B.* Quid ita? *A.* Neſcis leges noſtras ſcholaſticas? *B.* ipſæ etiam leges cupiunt, ut jure regantur. *A* Quo jure reguntur leges noſtræ? *B.* Æquitate & Præceptoris arbitrio: Nempe qui nobis eas privatim condiderit: Præterea non ſolet tam ſeverus eſſe in eo, quod vel negligentia, vel oblivione peccatum eſt. *A.* Sic ſæpe expertus ſum: ſed quomodo peccaveris, dicenda erit cauſa coram Obſervatore. *B.* Non timeo cauſam dicere, ubi nihil eſt periculi. *A.* Taceo. *B.* Sed quæſo, quid opus eſt, ut id ſciat Obſervator? hic enim DEUS nihil offenſus eſt. *A* Age, celabo. *B* Bene facies. *A.* Sed heus, memento par pari referre, ſi forte mihi acciderit aliquod delictum ejusmodi. *B.* Æquum bonum dicis: meminero.

COLLOQ. XXXIX.

Commodati repetitio, proregatio gratiæ.

CYPRIANUS. GERMANUS.

CUr non reddis mihi librum? *G.* Expecta in craſtinum diem: Nondum ſatis uſus ſum. *C.* Libenter expectabo. *G.* Referam tibi gratiam, DEO volente. *C.* Pro tantillo beneficio nullam expecto gratiam. *G.* Tamen eſt meum agnoſcere.

COLLOQ. XL.

Incuria puerilis in cuſtodia librorum.

NICOLAUS. CYRILLUS.

VIdiſtine librum meum? *C.* Quem librum quæ-

Digitized by Google

quæris. *N.* Ciceronis epiſtolas. *C.* Ubi reliqueras? *N.* Oblitus eram in auditorio. *C.* Tua fuit negligentia. *N.* Fateor; ſed interim indica, ſi quem ſcias accepiſſe. *C.* Cur non adis Præceptorem? Solet enim (ut ſcis) quæ a nobis relicta ſunt, aut ferre in Muſeolum, aut alicui dare, qui reddat. *N.* Bene mones. O me oblivioſum, cui iſtud in mentem non venerat!

COLLOQ. XLI.

Mutuatio pecuniæ ingenua: non ſit lucroſa, non luxurioſa.

EZECHIEL. BEATUS.

VIs a me magnam inire gratiam? *B.* Nihil libentius fecerim, ſi quidem penes me res ipſa eſt. Sed quid eſt, in quo tibi commodare poſſim? E. Da mihi mutuo aſſes decem. *B.* Non tantum nunc habeo, ſed minorem partem. *E.* Quantum quæſo? *B.* Neſcio, niſi crumenam inſpexero. Ecce tibi octo aſſes cum ſemiſſe. *E.* Solos ſeptem accipio. Non enim te vacuare prorſus volo. *B.* Parum refert; totum ſi vis, accipe. *E.* Ago tibi gratias: credo, hoc pecuniæ ſatis fore negotio meo cum aliquantula, quam ipſe habeo. *B.* Ut libet. *E.* Amo te de iſta tam expromta benignitate. *B.* Si quid aliud poſſim, ne parcam. *E.* Reddam totum, DEO volente, quum primum pater admiſerit. *B.* Ne ſis magnopere ſollicitus; nondum eſt opus mihi.

COLLOQ. XLII.

Mutuatio benefica, mutuanti non ſit gravis.

DA-

Digitized by Google

DAVID. NICOLAUS.

POtesne mihi mutuo dare aliquantum pecuniæ? *N.* Quantum petis? *D.* Quinque aſſes, ſi tibi eſt commodum. *N.* Non tot habeo. *D.* Quot igitur? *N.* Tantum quatuor. *D.* Bene ſane, da mihi iſtos quatuor. *N.* Dabo (ſi vis) dimidium. *D.* Cur non totum? *N.* Quia ſunt mihi opus duo. *D.* Da igitur duos, quæſo. *N.* Sed tibi non ſufficient. *D.* Petam ab aliquo alio. *N.* Accipe igitur hos duos: Quando reddes? *D.* Die (ut ſpero) Sabbathi, quum pater ad forum venerit. *N.* Eſto igitur memor. *D.* Ne timeas.

COLLOQ. XLIII.

Mutuationis ſpem faciens.

PAULUS. CASPARUS.

DA mihi duos aſſes mutuo. *C.* Nunc mihi non eſt promtum dare. *P.* Quid obſtat? nam ſcio, te his diebus accepiſſe pecuniam. *C.* Accepi quidem: ſed emendi ſunt libri, & alia mihi neceſſaria. *P.* Nolo tuum commodum remorari. *C.* Ubi emero, quæ mihi ſunt opus, ſi quid ſuperſit, faciam te libenter participem. *P.* Interea igitur ſperans expectabo: ſed quid ſi nihil tibi ſuperfuerit? *C.* Statim dicam tibi, ne fruſtra diutius expectes. *P.* Quando emes ea, quæ decreviſti? *C.* Cras, ut ſpero, aut ad ſummum perendie. *P.* Bene habet. Tempus eſt breviſſimum.

COLLOQ. XLIV.

Aucupes pecuniarum caute accipiendi iis, qui ſunt nummati ex parentibus.

MAR-

Digitized by Google

MARTINUS. BARTHOLOMÆUS.

ABiitne pater tuus? *B.* Abiit. *M.* Quota hora? *B.* Prima pomeridiana. *M.* Quid dixit tibi? *B.* Multis verbis monuit me, ut diligenter ſtuderem. *M.* Utinam ſic facias. *B.* Faciam, Deo juvante. M. Ecquid pecuniæ dedit tibi? *B.* Dedit, ut fere ſolet. M. Quantum? *B.* Nihil ad te. *M.* Fateor; ſed tamen quid facies iſta pecunia? *B.* Emam chartam, & alia, quæ mihi ſunt uſui. *M.* Quid ſi amiſeris? *B.* Æquo animo ferendum erit. *M.* Quid ſi forte eguero, dabisne mutuo? *B.* Dabo, & quidem libenter. *M.* Habeo tibi gratiam.

COLLOQ. XLV.

Grati animi pro beneficio ſtudium.

CORNELIUS. FONTANUS.

SAtisne uſus es ſcalpello meo? *F.* Satis. *C.* Redde igitur. *F.* Accipe. Ago tibi gratias. *C.* Nihil eſt, quod agas. *F.* Sed ignoſce, quod non ultro & citius reddiderim. *C.* Ea de re nihil ſum offenſus. Non enim debemus offendi, niſi quum DEUM offendi videmus. *F.* Recte ſentis.

COLLOQ. XLVI.

Commodatio ſeria & gravis.

BERTHOLDUS. NATHAN.

COmmoda mihi parumper cultellum tuum. *N.* Semper aliquid commodato petis: accipe. Quin tu emis potius? *B.* Non habeo pecu-

niam

niam. *N.* Cur non petis? *B.* Unde peterem? *N.* A patre. *B.* Non eſt in hac urbe. *N.* Ubi igitur? *B.* Peregre profectus eſt. *N.* Quo? *B.* Bernam. *N.* Quo die? *B.* Nudius tertius. *N.* Quando eſt reverſurus? *B.* Cras, ut ſperamus. Sic enim dixit proficiſcens. *N.* Bene vertat DEUS!

COLLOQ. XLVII.

Mutuatio panis ad ſtateram.

CONRADUS. SIMON.

REſtatne tibi multum panis? *S.* Satis, gratia DEO. *C.* Visne mihi dare mutuo? *S.* Libenter. *C.* Sed fortaſſe tibi non ſufficiet. *S.* Immo, ut ſpero. *C.* Ad quod usque tempus? *S.* Ad diem Veneris. *C.* Unde habebis poſtea? *S.* Domo. *C.* Quis afferet? *S.* Egomet ibo petitum. *C.* Quando? *S.* Ipſo die Veneris. *C.* Da mihi mutuo ſesquilibram. *S.* Quis appendet? *C.* Uxor Præceptoris aut ancilla. *S.* Eamus petitum ex arca mea. *C.* Quin ito ſolus; ego te in culina expectabo.

COLLOQ. XLVIII.

Donatio panis. Fides parentibus & in eduliis præſtanda.

JEREMIAS LUDOLPHUS.

ORo te, da mihi ex pane tuo. *L.* Mihi non habeo nimis: tamen volo tibi impertiri, accipe. *J.* Gratias ago tibi. *L.* Non eſt, quod agas ob rem tantulam. Sed dic, quæſo, cur non attuliſti? *J.* Quia nemo erat domi noſtræ, qui mihi

hi daret. *L.* Tu vero cur non accepiſti? *J.* Non audeo, niſi det mater. *L.* Bene facis; ſed audi bonum conſilium. *J.* Auſculto, ut audiam: dic, quæſo. *L.* Quum prandio finito tolluntur menſæ reliquiæ, petito merendam tuam, eamque in peram ſtatim recondito. Ita fiet, ut nunquam immunis venias. *J.* De jentaculo autem quid ſuades? *L.* Ut petas in exitu cœnæ, & idem facias, quod dixi tibi de merenda. *J.* Nunquam vidi melius conſilium dari. *L.* Fac igitur, ut memineris, & quum voles, utere. *J.* Ego vero utar, quoties opus erit.

COLLOQ. XLIX.

1. *Petitio panis. Matris indulgentia filiorum pernici-*
2. *es, ſi abutaris, quod precibus divinis cavetur. Pii*
3. *colloquii utilitas.*

AUGUSTUS. BRENNUS.

DA mihi fruſtum panis. *B.* Non habes? *A.* Si haberem, non peterem. *B.* Cur non attuliſti? *A.* Dicam poſtea. Sed da interim, quæſo: nam eſurio vehementer. *B.* Cape. *A.* Hui! tantillum? *B.* Etiam quereris. *A.* Non immerito. Das parce nimis. *B.* Vide quantulum reſtet, dedi fere dimidium. *A.* Ago tibi gratias, dediſti abunde, ſed jocabar. *B.* Nunc reſponde: Cur non attuliſti panem domo? *A.* Nemo erat, qui daret? *B.* Nemo? *A.* Prorſus nemo. *B.* Quid mater? *A.* Aberat domo. *B.* Quid cæteri? *A.* Omnes erant occupati. *B.* Cur tute non accipiebas? *A.* Nunquam auderem tale quippiam. *B.* Cur

non? *A.* Mater perpetuo vetat, ne quid attingam, ſine permiſſu ejus. *B.* Dura mater. *A.* Tuo quidem judicio, qui indulgentiorem habes. *B.* Non dico indulgentem, ſed certe liberalem. *A.* Quomodo te tractat? *B.* Suaviſſimè omninoque ex animi ſententia. *A.* Fortaſſe in tuam perniciem? *B.* Avertat DEUS Optimus Maximus. *A.* Non equidem invideo. *B.* Cur ergo iſtud dicis? *A.* Ut interim te moneam, omnes licentia deteriores fieri. *B.* Bene facis. Sed quid cenſes? Nonne uti licet parentum bonitate? *A.* Certe licet, modo ne abutaris. *B.* Quomodo abutimur? *A.* Rogas? Quum aut patris aut matris indulgentiam in malum vertimus. *B.* Recte dicis, ſed quotusquisque id facit? *A.* Immo fere omnes: niſi qui a Domino DEO prohibentur. *B.* Quis poteſt bonus eſſe, niſi per DEI gratiam? *A.* Ergo (ut ſæpe monemur a Præceptore) precandus eſt, ut Spiritu ſuo nos bonos & ſanctos efficiat. *B.* Gaudeo, te non attuliſſe jentaculum. *A.* Quamobrem? *B.* Quia hoc noſtro colloquio mihi videor multum profeciſſe. *A.* Ego quoque non parum. *B.* Tua opera id factum eſt. *A.* Immo beneficio DEI, qui quidem ita voluit. *B.* Credo equidem. *A* Hic igitur & in cæteris agnoſcamus bonitatem ejus. *B.* Valde id æquum eſt. *A.* Immo valde neceſſarium, ſi quidem volumus ingrati animi crimen effugere. *B.* O ſermonem jucundiſſimum! *A.* Gratiæ DEO immortales, per JEſum Chriſtum. *B.* Ita velim.

Digitized by Google

COLLOQ. L.

1. *Victoria ſcholaſtica eſt ex pietatis, modeſtiæ, diligen-*
2. *tiæ præſtantia: præmio ornanda ſcholaſtico, Deoque*
3. *accepta referenda.*

DISCIPULUS primus ex victoribus.
PRÆCEPTOR. NOMENCLATOR.

PRæceptor, visne dare præmiolum? *Præ.* Quamobrem? *D.* Victoriæ cauſa. *P.* Ubi ſunt compares tui? *D.* Adſunt, Hubertus & Antonius. *P.* Heus Nomenclator, ſuntne hi victores hac hebdomade? *Nom.* Habent notas omnium pauciſſimas. *P.* Ergo ſunt victores: quid aliud ex te quæro? Vos igitur quod præmium petitis? *D.* Quod tibi placuerit. *P.* Quo tandem jure debeo? *D.* Ex promiſſo. *P.* Æquum dicitis. Quicquid enim recte promiſſum eſt, præſtari debet. *D.* Sic ex te diſcimus. *P.* Ecce vobis ſingulis pennæ ad ſcribendum: ac ne putetis vulgares eſſe, ex earum ſunt genere, quæ vulgo Hollandicæ appellantur. *D.* Gratias agimus, Præceptor. *P.* Quin potius agite DEO, omnium bonorum auctori, qui det ſtudiis veſtris ſucceſſus proſperos. Vos autem in literarum ſtudio pergite diligenter. *D.* Dabimus operam, quantum juvabit ille Pater optimus. *P.* Sine ejus ope vana ſunt noſtra omnia.

COLLOQ. LI.

Fides obſervatoris, Fides diſcipuli. Innocentiæ ſecuritas DEO accepta referenda.

OSWALDUS. CHRISTOPHORUS.

UNde venis, Chriſtophore? *C.* Domo. *O.* Quid affers illinc? *C* Merendam. *O.* Quis tibi permiſerat exire? *C.* Præceptor ipſe. *O.* Unde iſtud probabis? *C.* Adeamus illum, ut conſulamus. *O.* At vide, quid agas. *C.* Hac in re nihil timeo. *O.* Adeone ſecurus es? *C.* Qui verum dicit, nihil timere debet. *O.* Vera quidem iſta eſt ſententia, ſed quotusquisque non mentitur? *C.* Certus ſum, me nihil mentiri nunc. *O.* Propemodum perſuades mihi; abi, credo tibi, quia in mendacio nunquam te deprehendi. *C.* Eſt DEO gratia, quem precor, ut me integrum & purum cuſtodiat. *O.* Utinam ex animo ſic omnes precarentur! Recipe nunc te, ut edas merendam tuam.

COLLOQ. LII.

Præmium ſcholaſticum virtutis teſtimonium, non lucri alimentum.

GERHARDUS. EZECHIAS.

QUi ſunt victores hac hebdomade? *E.* Ubi eras, quum rationes redderentur? *G.* Acceritus a Patre fueram. Sed qui ſunt victores? dic ſodes. *E.* Ego & Ludolphus. *G.* Jamne habuiſti præmium? *E.* Habuimus. *G.* Quodnam? *E.* Duodenas juglandes. *G.* Hui, quale præmium! *E.* Eho inepte, æſtimas ergo præmium ex rei pretio? *G.* Hic nihil aliud video æſtimandum. *E.* Sordidus es, qui lucro ſic inhias. Nonne meminiſti verbum Præceptoris? *G.* Quod verbum?

bum? *E.* Non lucri, ſed honoris cauſa datur præmium. *G* Nunc reminiſcor quaſi per nebulam, poſthac ero diligentior. *E.* Sic tandem ſapies.

COLLOQ. LIII.

Præludium ex literis repetendum ante luſionem, & a jurgiis abducendum.

GABRIEL. BURCHARDUS.

EUge dimiſſi ſumus ad luſum, audiſtin? *B.* Quidni audiverim, quum egomet adfuerim? *G.* Placetne pauliſper confabulari? deinde ludemus unà. *B* Mallem ego prius ludere. *G.* Atqui difficile eſt ludum abrumpere. *B.* Plane verum dicis, & ego in me ſic experior. *G.* Quoniam igitur placet tibi mea ratio, da nobis aliquid argumenti ad confabulandum. *B.* Immo tuum eſt dare, ut qui me accerſiveris. *G.* Æquum dicis. Redde nomina Latinè, quæ tibi Germanicè proponam. *B.* Qua de re propones? *G.* De ſupellectile. *B.* Tentabo reſpondere, modo ne plura quam decem proponas. *G* Enumerabo in digitis, ne forte numerum excedam. Audi igitur. *B.* Iſthic ſum. *G* Ein Anricht-Tiſch? *B.* Abacus. *G.* Ein Sitz-Stuhl? *B.* Sella. *G.* Ein Leuchter? *B.* Candelabrum. *G.* Ein Keſſel? *B.* Ahenum. *G.* Ein Blas-Balg? *B.* Follis. *G.* Ein Küſſen? *B.* Pulvinar. *G.* Ein Haupt-Küſſen? *B.* Cervical. *G.* Eine Bett-Decke? *B.* Linteum. *G.* Ein Hafen? *B.* Olla. *G.* Eine Wein-Kanne? *B.* Oenophorum. *G.* Erraſti ſemel. *B.* Ubi? *G.* Dixiſti linteum pro lodice. *B.* Fateor; debeo

tibi ſemel victoriam. *G.* Nunc viciſſim propone, ut redimas, ſi potes. *B.* Vis reſpondere de eduliis? *G.* Ut libet. *B.* Friſch Fleiſch? *G.* Caro recens. *B.* Schweine Fleiſch? *G.* Suilla. *B.* Wildprät? *G.* Ferina. *B.* Wildprät vom wilden Schwein? *G.* Aprugna. *B.* Geſotten Milch? *G.* Lac decoctum. *B.* Molcken? *G.* Serum vel ſerum lactis. *B.* Ein friſcher Käs? *G.* Caſeus recens. *B.* Fleiſch-Brühe? *G.* Jus carnium. *B.* Geſotten Fiſch? *G.* Piſcis elixus. *B.* Brühelein, darein man tuncket? *G.* Condimentum. *B.* Falleris? *G.* Quid ergo eſt? *B.* Intinctus. *G.* Condimentum volo. *B.* At ego nolo contendere. *G.* Quis contendit? Conſulamus. *B.* Quin prius ludamus; illud fiet poſterius. *G.* Age, fiat, ne amittamus ludendi occaſionem.

COLLOQ. LIV.

Proba ambulatio. Horti ad pietatem invitatio.

MOSES. OSWALDUS.

JAmdudum tædet me toties repetere luſus ſcholaſticos. *O.* Quid facies igitur? *M.* Eamus in hortum noſtrum. *O.* Quid agemus? *M.* Ambulabimus, colloquemur: DEI beneficia in ejus operibus commemorabimus. *O.* Nihil ſane jucundius, ſed interim petenda eſſet a Præceptore venia. *M.* Jam impetravi mihi & item uni, quem vellem ducere. *O.* Bene res habet: eamus, ducente DEO. *M.* Precor, ut nos cuſtodiat. *O.* Ego quoque idem precor tecum.

COL-

COLLOQ. LV.

Luſionis ſpatium, impetratio, modus, pila.

SULPITIUS. MATTHÆUS.

IMpetraſtis ludendi facultatem? *M.* Impetravimus. *S.* Ad quod usque tempus? *M.* Ad cœnam usque. *S.* Qui dederunt verſus? *M.* Primi & Secundi. *S.* Quid ceteræ claſſes? *M.* Primus quisque decurio trium proximarum Claſſium pronunciavit unam è ſacris literis ſententiam. *S.* Nonne precati eſtis, ut ſolemus? *M.* Precati, & quidem præſente Ludimagiſtro: tu vero ubi eras? *S.* Iveram domum a matre accerſitus. *M.* Nunc igitur quid agere cogitas? *S.* Ludere ſesquihoram: deinde ad ſtudium me recipere. *M.* Vis tu, tibi ſim colluſor? *S* Quidni velim? *M.* Quo luſu nos exercebimus? *S.* Nullus eſt mihi jucundior pilâ palmaria. *M.* Nec mihi quidem. *S.* Viſamus igitur, an cæteri partes ſortiti ſint. Nam ſi ſoli luderemus, minus eſſet voluptatis. *M.* Viſamus ſane.

COLLOQ. LVI.

Et ambulationis & luſus fructus.

MICHAEL. REINERUS.

VIsne venire mecum? *R.* Quo properas? *M.* Ad Rhenum. *R.* Quid eo? *M.* Lotum pedes. *R.* I ſanè. Nunc lotione mihi opus non eſt. *M.* Sed interim parum fabulabimur. *R.* Ne fabulari quidem nunc velim. *M.* Atqui utilis eſt confabulatio, duntaxat de honeſtis rebus. *R.* At mihi utilior eſt ad valetudinem exercitatio cor-

poris. *M.* Quidſi manſero tecum? *R.* Prudenter facies; & nos pila palmaria colludemus. *M.* Bene vertat Deus, maneo. *R.* Alias lotum unà tecum ibo, quum ſcilicet longius erit temporis ſpatium. *M.* Ad ludum igitur nos accingamus. *R.* Nulla eſt in me mora.

COLLOQ. LVII.

Luſione prius penſum literarium.

VINCENTIUS. BONIFACIUS.

CUr hodie non luſiſti nobiſcum? *B.* Non erat mihi ludendi ſpatium. *V.* Quid habebas negotii? *B.* Non abſolveram penſum meum. *V.* Quod penſum? *B.* Dimidium exemplaris reſtabat mihi perſcribendum. *V.* Perfeciſtine? *B.* Perfeci. *V.* Laudo tuam diligentiam; ludes alias otioſe. *B.* Quum voluerit DEUS. *V.* Recte dicis; Nam absque voluntate ejus fieri nihil poteſt.

COLLOQ. LVIII.

Pueri elementarii extra ordinem ludendi veniam petunt.

PRIMUS PUER. PRÆCEPTOR. SECUNDUS PUER ET TERTIUS.

SAlve Præceptor. *Præ.* Sit vobis ſalus a Chriſto puero. *Pu.* Amen. *Præ.* Jamne repetiviſtis? *Pri.* Etiam, Præceptor. *Præ.* Quis docuit vos? *Pri.* Subdoctor. *Præ.* Quid nunc vultis? *S.* Ut per te liceat nobis parumper ludere. *Præ.* Non eſt ludendi tempus. *Ter.* Non petimus omnibus, ſed no-

nobis parvulis tantum. *Præ.* Atqui pluit, ut videtis. S. Ludemus in pergula. *Præ.* Quo luſu? *Sec.* Aciculis & juglandibus. *Præ.* Quid mihi dabitis? *Pri.* Dicemus nomina. *Præ.* Quot dicetis ſinguli? *S.* Duo. *Præ.* Dicite igitur. *Pri.* Pappier, Charta. Dinte, Atramentum: Dixi. *S.* Ein Buch, Liber. Ein Büchlein, Libellus: Dixi. *Ter.* Eine Kirſche, Ceraſum. Welſche Nüſſe, Juglandes: Diximus. *Præ.* Quam belli eſtis homunculi! Ludite ad cœnam usque. *Pri.* Gratias agimus, Præceptor.

COLLOQ. LIX.

Peſtis vana, Deo duce, & præſidio functionis demandatæ.

ATTICUS. BRUTUS.

UBi nunc eſt pater tuus? *B.* Puto eum eſſe Lipſiæ. *A.* Quid illic agit? *B.* Negotiatur. *A.* Ex quo tempore? *B.* Ab ipſo initio mercatus. *A.* Valde miror, qui audeat illic commorari tot dies, quum peſtilentia tanta ſit per totam urbem. *B.* Non eſt adeo mirandum. *A.* Itane videtur? *B.* Ita profecto. Fuit enim alias in majore periculo: ſed Dominus DEUS ſemper eum cuſtodivit. *A.* Credo equidem, & adhuc cuſtodiet. Sed quando eſt reverſurus? *B.* Neſcio: in horas expectamus. *A.* Reducat illum DEUS. *B.* Ita precor.

COLLOQ. LX.

Trahit ſua quemque voluptas. Ludendi venia uti fas eſt.

ELISÆUS. DIONYSIUS.

QUa de re ſic elatus es lætitia? *D.* Pater meus advenit modo. *E.* Quid mea refert? *D.* Im-

mo plurimum, qua nobis impetravit ludendi veniam. *E.* Ain tu? *D.* Vide pueros jam ludentes in area. *E.* Ludant ſane alii: Ego ſtudere malim, quam ludere. *D.* Nec minus ego: ſed in tempore Nam (ut eſt in proverbio) omnia tempus habent. Unde & nos recte monet Cato noſter:

Interpone tuis interdum gaudia curis,
Ut quemvis animo poſſis ſufferre laborem.

E. Vera ſunt, quæ dicis, fateor: ſed interim omitte me, ut ſerio ſtudeam. *D.* Per me ſtudeas licet: nihil impedio: At ego hac utar occaſione. *E.* Utere ſane.

COLLOQ. LXI.

A luſu revocatio.

NOMENCLATOR. Quidam puer ex turba, Item alius.

HEus, pueri, heus! *Q.* Quid clamitas? *N.* Deſinendum eſt a luſu. *Q.* Eho inepte, nondum quarta exacta eſt. *N.* Imo fere ſemihora poſt quartam. *A.* Cur non dediſti ſignum? *N.* Quia tintinnabuli funis fractus eſt. *A* Clama iterum; ſed attolle vocem. *N.* Heus! pueri, recipite vos omnes. Feſtinate, inquam, urget Præceptor. *Q.* Deſine clamare, accurrunt omnes.

COLLOQ. LXII.

1. 2. Filii pietas, & officium in patrem: Amici gratula-
3. 4. tio; Literarum ſtudio nil potius.

OTTO. QVIRINUS.

QUid ita lætus es? *Q.* Quia venit pater. *O.* Ain tu? Unde venit? *Q.* Lipſia. *O.* Quando advenit?

venit? *Q.* Modo. *O.* Jamne ſalutaſti? *Q.* Salutavi, cum ex equo deſcenderet. *O.* Quid amplius illi feciſti? *Q.* Calcaria detraxi & ocreas. *O.* Miror, te non manſiſſe domi propter ejus adventum. *Q.* Nec ille permiſiſſet. Nec ego vellem: præſertim nunc, quum audienda eſt prælectio. *O.* Bene tibi conſulis, qui temporis rationem habeas. Sed quid pater? valetne? *Q.* Recte, DEI beneficio. *O.* Equidem gaudeo plurimum tua & ejus cauſa, quod ſalvus peregre redierit. *Q.* Facis, ut amicum decet. Sed cras pluribus verbis colloquemur: Vide Præceptorem, qui jam ingreditur auditorium. *O.* Eamus auditum prælectionem.

COLLOQ. LXIII.

1. Pennæ ſeu calami præparatio, commodandi benigni-
2. tas. Petendi modeſtia.

MARCUS. AARON.

Miſeret me tui. *A* Quid ita? *M.* Quod penna tua tam miſere abutaris. *A.* Quomodo abutor? *M.* Quia peſſime tractas in acuendo. *A.* Non eſt culpa mea, ne quid erres. *M.* Cuja igitur? *A.* Scalpelli mei, cujus acies obtuſa eſt. *M.* Scalpellum in culpa non eſt; ſed tu ipſe. *A.* Cur iſtud dicis? *M.* Quia debuiſti vel ſcalpellum tuum acuere, vel aliud aliunde rogare commodato, ſaltem ad præſens negotium. *A.* Non audeo petere. *M.* Quid times? *A.* Ne mihi denegetur. *M.* Ecce tibi meum. *A.* Gratias ago. *M.* Utere, quantum voles, ſed rectè. *A.* Sciens non abutar. *M.* Nec ſis poſthac tam verecundus in petendo. *A.* Sic eſt

eſt ingenium meum; Soleo dare libentius, quam petere. *M.* Utinam multi eſſent tui ſimiles! Sed tamen, qui libenter dat beneficium, is petere quoque libere poteſt. Sed ego te nimis detineo; perfice, quod cœperas.

COLLOQ. LXIV.

Domeſtica opera, emanſionis excuſatio.

CANNIUS. DECIUS.

CUr non venit Petrus in Scholam? *D.* Eſt occupatus. *C.* In quo negotio? *D.* In ligno ſtruendo. *C.* Quî ſcis? *D.* Dictum eſt mihi. *C.* A quo? *D.* A patre ejus. *C.* Ubi eum vidiſti? *D.* Fuit mihi obvius, quum venirem. *C.* Vide, ne mentiaris: Nam ex illo quæram, ſi forte occurrat mihi per vicos. *D.* Reperies ſic, ut dico.

COLLOQ. LXV.

Domeſtica de ruſticatione ſermo.

SULPITIUS. RUDOLPHUS.

CUr hodie mane abſuiſti? *R.* Occupatus eram. *S.* In quo negotio? *R.* In ſcribendis ad matrem literis. *S.* Quid opus erat illi ſcribere? *R.* Quia ad me ſcripſerat. *S.* Ergo reſcripſiſti? *R.* Proprie loqueris. S. Unde tibi miſerat literas? *R.* Rure, nempe ex villa noſtra. *S.* Quando rus profecta eſt? *R.* Superioribus diebus. *S.* Quid agit ruri? *R.* Curat noſtra negotia ruſtica? *S.* Quid potiſſimum? *R.* Præparat ea, quæ ſunt opus ad proximam vindemiam. *S.* Prudenter agit. *R.* Unde iſtud probares? *S.* „Nam omnibus in rebus adhi-

Digitized by Google

adhibenda eſt præparatio diligens.„ *R.* Quis te iſtud docuit? *S.* Quidam Pædagogus dictavit e Cicerone. *R.* Qua occaſione? *S.* Quum admoneret, ut me diligenter pararem ad reddendam rationem hebdomadum poſtero die. *R.* Profecto recte monebat. *S.* Sed ad propoſitum revertamur. Non habetis villicum, qui curet ruri veſtra negotia? *R.* Immo & villicum habemus, & famulos, & ancillas. *S.* Quid igitur opus eſt illic tuæ matris opera? *R.* Quia melius novit providere rebus omnibus, quam iſti imperiti ruriculæ. *S.* Nihilne amplius? *R.* Sine me finire propoſitum. *S.* Putabam te abſolviſſe: perge. *R.* Etiam (ut ex patre audivi) præcipua cura Domini requiritur in re familiari adminiſtranda. *S.* Ergo pater tuus nunc potius deberet ad villam eſſe. *R.* Non poteſt. *S.* Quid prohibet? *R.* Quia totus eſt in arte ſua occupatus. *S.* Majorem (ut opinor) ex ea re fructum percipit. *R.* Quis dubitet? *S.* Inde igitur fit, ut relinquat uxori omnem curam rei domeſticæ. *R.* Omnino ſic eſt. *S.* Sed mater quando eſt reverſura? *R.* Vix ante perfectam vindemiam. *S.* Quid tu? Non ibis vindemiatum? *R.* A matre (ut ſpero) brevi accerſar. Sed quæſo te, quid cogitamus? Jam omnes in auditorium currunt. *S.* Bene res habet; Curramus & nos, ne poſtremi ſimus.

COLLOQ. LXVI.

Horæ percontatio, Merenda.

RI-

RICHARDUS. AMBROSIUS.

AUdiſtine horologium? *A.* Dudum ſonuit. *R.* Dinumeraſti horas? *A.* Dinumeravi. *R.* Quota eſt? *A.* Fere ſesqui prima. *R.* Inſtat igitur prælectionis tempus: fac ut paratus ſis. *A.* Ubi merendam peredero, ecce me paratum. *R.* Cur meridie non affuiſti nobiſcum? *A.* Prodieram cum bona venia Præceptoris. *R.* Sed interim ſum tibi impedimento. *A* Nihil impedis, ne bolum quidem perdidi interpellatione tua. *R.* Bene habet. Perge & matura.

COLLOQ. LXVII.

Repetitio mutua prælectionis.

LUDOVICUS. SEBASTIANUS.

FEciſtine officium tuum? *S.* Qua in re? *L.* In repetenda prælectione. *S.* Nihil adhuc repetivi. *L.* Quid cauſæ fuit? *S.* Expectabam, dum rediret compar meus. *L.* Quo ille ivit? *S.* Domum. *L.* Quid eo? *S.* Petitum merendam. *L.* Quid ſi redibit ſerius? *S.* Neſcio? fieri poteſt. *L.* Vis interea mecum repetere? *S.* Equidem non recuſo. *L.* Secedamus igitur, ne quis moleſtus ſit nobis. *S.* Profecto bene mones: Nemo ſtudere poteſt in tanto ambulatorum ſtrepitu & clamore. *L.* Aſpice illic locum remotiſſimum, ubi nulli ſunt ambulantes. *S.* Eamus illuc.

COLLOQ. LXVIII.

Cœnatio. Studendi a cœna modus.

DO-

Digitized by Google

DONATUS. ERASMUS.

QVo properas? *E.* Eo cœnatum: Quid tu? *D.* Jam cœnavi. *E.* Quota hora? *D.* Quinta, ut ferè ſolemus. *E.* Quid nunc ages? *D.* Repetam aliquid eorum, quæ reddere habemus craſtino die. *E.* Ego didici ex Pædagogo meo, non eſſe tam cito a cibo ſtudendum. *D.* Iſtud ego quoque didici, ſed nolo nunc ediſcere. *E.* Quid ergo facies? *D.* Ego quaſi animi cauſa prælectionem particulatim aliquoties legam & relegam. *E.* Quid tum? *D.* Ita paulatim fiet, ut ſine cura, ſine tædio & moleſtia bonam partem prælectionis ediſcam. *E.* Iſta non ſatis intelligo: & certe videris mihi ſupra ætatem ſapere. *D.* Non eſt res adeo difficilis, quoniam te docere poſſem, niſi ad cœnam properares. *E.* De cœna in tempore admones. Ego igitur ejus cauſa me domum recipio. Vale. *D.* Ducat te DEUS, & reducat.

LIBER II.

DE LITERIS PUERILIBUS ET HAS ATTINGENTIBUS VARIIS.

PRÆFATIUNCULA.

NE pueri nihil agendo diſcant male agere, præſertim otioſo ſermone, praviſque aut ineptis colloquiis ſeſe invicem corrumpentes omnibus modis incitandi ſunt, ut in ſchola, dum Præceptoris ingreſſum expectant, aſſveſcant

ſcant interea bini ternivi, id quod ab eo præſcriptum fuerit, ſimul repetere.

Plurimum proderit hæc illis jucunda exercitatio: eosque interim ab oris laſcivia, multisque aliis rebus malis, quibus offenditur DEUS, avertere poterit. Sed quia ſine puerili colloquio ejusmodi repetitiones tractari non ſolent; Pueri autem ipſi, niſi inſtituti fuerint, nihil aliud quam barbare loquuntur; idcirco, ut Latine inter ſe loqui paulatim diſcant, hac de re hic aliquot breves colloquendi formulas propoſuimus. Cæterum in Præceptoris diligentia ſitum erit, ut hæc ipſa colloquia diſcipulis aliquoties interpretetur, doceatque, quomodo in his & aliis ejus generis (quæ tradere ipſe poterit) ſeſe & domi, & in ſchola debeant exercere: ad idque illos identidem cohortetur. Ita fiet progreſſu temporis, ut promtiores ſemper & alacriores eos habiturus ſit ad ea mature reddenda, quæ præſcripſerit. Hinc etiam conſequetur, ut minore cum labore ac moleſtia docentis munus exequatur.

ARGUMENTUM IN SEQVENS COLLOQVIUM ET IN SEX RELIQVA HUJUS SECUNDI LIBRI.

PUeri declinationum exempla, a Magiſtro præſcripta, ſe viciſſim audientes repetunt, idque ne ſint otioſi tantiſper, dum Præceptoris ingreſſum expectant.

COL-

COLLOQ. I.

ALBERTUS. BORBONIUS.

VIſne repetamus unà? *B.* Quidnam? *A.* Id quod nobis præſcriptum eſt. *B.* Equidem volo. Sed quo genere repetendi utemur? *A.* Audiamus nos viciſſim. *B.* Sic Præceptor nos monet ſæpe. *A.* Recte monet, ſed male paremus. *B* Uter incipiet? *A.* Ego, ſi tibi ita placet. *B.* Maxime placet: Incipe igitur. *A.* Secundæ Declinationis nomina his exemplis latine declinantur:

Magiſter, Puer, Dominus, Lanius, Antonius, Regnum. *B.* Quæ ſunt hodie declinanda? *A.* Heſternum quidem eſt Lanius; hodiernum vero Antonius. *B.* Cur nos id repetimus quotidie, quod pridie reddidimus? *A.* Quia ſic Præceptor jubet. *B.* Id ſatis ſcio, ſed cur jubet? *A.* Ad confirmandam memoriam. *B.* Age, declina Lanius.

A. N. S. Hic Lanius. G. hujus lanii &c. *B.* Verte Germanice. *A.* Lanius, lanii, g. m. Ein Metzger. *B.* Declina Antonius. *A.* N. S. Hic Antonius. G. hujus Antonii. D. huic Antonio &c.

B. Verte Germanice. *A.* Antonius, Antonii, g. m. eſt nomen viri. Es iſt ein Manns-Nahme, Germanice Anton. *B.* Cur dicis nomen viri? Tu nondum es vir. *A.* Fateor, ſed ſunt alii Antonii, qui viri ſunt. *B.* Utinam aliquando vir evadas! *A.* Evadam Deo juvante.

B. Attende nunc, ut viciſſim audias me. *A.* Iſtic ſum, dic audacter.

B. Secundæ declinationis nomina. *A.* Deſine, Præceptor adeſt. *B.* Audio tuſſientem, deſinamus, ne putet nos garrire.

COLLOQ. II.

CANTUS. DIDACUS.

MOx aderit Præceptor, repetamus. *D.* Quid opus eſt mihi repetitione? Solus repetivi ſatis: Omnia teneo memoriâ. *C.* Quid tum. Quanto ſæpius repetes, tanto meliùs tenebis. *D.* Benè mones: habeo tibi gratiam.

C. Incipe, tempus abit.

D. Quartæ declinationis. *C.* Erras Didace: Incipiendum eſt ab exemplo heſterno. *D.* Erravi, fateor. *C.* Dic igitur nunc recte. *D.* N. S. Hoc Sedile. G. hujus Sedilis, &c.

Quartæ Declinationis nomina hoc exemplo declinantur:

Nom. Sing. Hic ſenſus. G. hujus ſenſus. D. ſenſui. *C.* Hactenus: audio Præceptorem.

COLLOQ. III.

EBERHARDUS. FRANCISCUS. CYRILLUS.

QUid agis, Franciſce! Inſtat Præceptoris adventus. *F.* Scilicet inſtat: nondum eſt ſemihora poſt ſecundam. *E.* Tamen non debemus interim tempore ſic abuti: repetamus. *F.* Non ſtabit per me: Ego enim ſum paratus. *E.* Incipe igitur. *C.* Expectate parumper, quæſo:

Ego

Ego quoque ſum veſtræ decuriæ. *E.* Matura. *F.* Dicamus ſuum quisque caſum ordine, ut interdum nos docet Præceptor. *E.* Satis eſt verborum: attendite. *C.* Quid aliud agimus?

E. Tertiæ Declinationis nomina his exemplis Latine declinantur: Pater, Lumen, Rupes, Mesſis, Pars, Sedile, Vectigal, Laquear.

F. N. Hæc Rupes. *C.* G. hujus rupis. *E.* D. huic rupi. *F.* Acc. hanc rupem. *C.* V. ô rupes. *E.* Abl. ab hac rupe.

F. N. P. Hæ rupes. *C.* G. harum rupum. *E.* Erraſti Cyrille, corrige erratum. *C.* G. harum rupium. *E.* D. his rupibus. *F.* Acc. has rupes. *C.* V. ô rupes. *E.* Abl. ab his rupibus. *F.* Verte Germanicè. *C.* Rupes, rupis, g. f. Ein Felß.

E. Pone in oratione. *F.* Non eſt in libro noſtro.

E. Sed Præceptor docuit. *F.* Alta rupes. Ein hoher Felß. *E.* More patrio dicis; aſpira fortiter, hoher. *F.* Ein hoher Felß.

C. N. S. Hæc mesſis. *E.* G. hujus meſſis. *F.* D. huic mesſi &c.

E. Ambo erraſtis. *F.* Erravi fateor. *C.* Ego quoque: ſed uter erit victus? *F.* Præceptor judicabit. *E.* Æquum dicis. *F.* Vultisne dicamus iterum, ad memoriam confirmandam? *F.* Quidni? *C.* Quid ſi Præceptor interveniat? *F.* Quid tum? Laudabit nos ore pleno. *C.* Sed mutandus eſt ordo. *E.* Non eſt dubium, incipe, Franciſce.

F. Tertiæ Declinationis nomina; &c.

Digitized by Google

COLLOQ. IV.

HERMANNUS JUSTINUS.

VIſne repetere mecum? *J.* Cur tam cito? *H.* Ne Obſervator nos deprehendat garrientes aut otioſos.

J. Age, repetamus; ſed uter incipiet? *H.* Ego; quia victor ſum. *J.* Dic igitur.

H. Prudens; Nomen Adjectivum ſic declinatur in genera:

Hic prudens, g. m. hæc prudens, g. f. hoc prudens, g. n.

Idem nomen ſic declinatur in caſus:

N. S. Hic & hæc & hoc prudens.

J. G. prudentis. *H.* D. prudenti.

J. Acc. prudentem & prudens &c.

COLLOQ. V.

Repetitio Conjugationum.

LUCULLUS. MARIUS.

CUr tu es otioſus? *M.* Non ſum omnino. *L.* Quid agis igitur? *M.* Cogito de lectione reddenda. *L.* Ego quoque id ago: Repetamus unà. *M.* Fiat; ſed quam rationem adhibebimus? *L.* Age Præceptoris partes, ego diſcipuli. *M.* Valde placet mihi conditio. *L.* Sed ne ſis mihi auſterior. *M.* Ne timeas: noſtine ſatis?

L. Novi. *M.* Declina Lego, in Modo Infinitivo.

L. Infinitivi Modi tempus Præſens & Præteritum imperfectum, legere. Præteritum perfectum & plusquamperfectum, Legiſſe. *M.* Perge.

L. Sine

L. Sine me pauliſper reſpirare, quæſo, Præceptor. *M.* Age, ſino, ſatisne reſpiraſti? *L.* Satis. *M* Perge nunc. *L.* Futurum indefinitum, Lecturum eſſe. Gerundia Legendi &c. *M.* Gaudeo, te recte feciſſe officium. *L.* Ego vero mihi gratulor, ſed eſt DEO gratia. *M* Recte dicis, utinam ex animo. *L.* Ex animo certe. *M.* Bene habet, deſinamus; ſentio Præceptoris adventum. *L.* Eccum adeſt.

COLLOQ. VI.

NATHAN. ODOACER. PINARIUS. QVINTVS. RABINUS.

HEus pueri, nos hic ſumus quinque, repetamus hodiernum verbum, ut ſolemus coram Præceptore.

O. Nemo (ut opinor) contradicet. *P.* Quis contradiceret? noſtra omnium res agitur. *Q.* Incipe igitur Nathan, qui primus ſedes.

N. Optativi & Subjunctivi Modi Præſens Tempus, Sing. Audiam. *O.* Audias. *P.* Audiat. *Q.* Plur. Audiamus. *R.* Audiatis. *N.* Audiant. *O.* Præteritum Imperfectum Subjun. Sing. Audirem. *P.* Audires. *Q.* Audiret. *R.* plur. Audiremus. *N.* Audiretis. *O.* Audirent. *P.* Præteritum perfectum Sub. Sing. Audiverim. *Q.* Audiveris. *R.* Audiverit. *N.* Pl. Audiverimus, &c.

COLLOQ. VII.

SERVIUS. TULLIUS. VICTOR.

HIc dies nobis eſt feriatus: & jam ſatis luſimus. *T.* Satis opinor. *S.* Vultis ergo, ut

animi gratia conferamus de ſtudiis noſtris? *T.* Sane mihi gratum feceris. *V.* Mihi vero gratiſſimum. *T.* Sed quid tractabimus? *S.* Tentemus declinare aliquod verbum Latine ſimul & Germanice. *V.* Incipe igitur, quia nos provocaſti. *S.* Faciam, quando ita placet vobis. *V.* Audiamus.

S. Indicativi Modi præſens tempus, Sing. Doceo, ich lehre, doces, du lehreſt, docet, er lehret, plur. Docemus, wir lehren, docetis, ihr lehret, docent, ſie lehren.

T. Præteritum imperfectum, Sing. Docebam, ich lehrete, docebas, du lehreteſt, docebat, er lehrete, plur. Docebamus, wir lehreten, docebatis, ihr lehretet, docebant, ſie lehreten.

V. Præteritum perfectum, Sing. Docui, ich habe gelehret, docuiſti, du haſt gelehret, docuit, er hat gelehret, plur. Docuimus, wir haben gelehret, docuiſtis, ihr habt gelehrt, docuerunt vel docuere, ſie haben gelehret.

T. Præteritum Plusquamperfectum, Sing. Docueram, ich hatte gelehret, docueras &c.

COLLOQ. IIX.

Literæ acceptæ.

CORNELIUS. MARTIALIS.

QVid legis? *M.* Literas. *C.* A quo? *M.* A Patre. *C.* Quando accepiſti? *M.* Heri veſperi. *C.* Quis attulit? *M.* Neſcio. *C.* Neſcis? quis tibi reddidit eas? *M.* Ancilla quædam a caupone. *C.* Unde ſunt datæ? *M.* Lutetia, credo.

C. Quo

C. Quo die? *M.* Nondum licuit inſpicere. *C.* Nempe ego te interpellavi. *M.* Parum refert; non adeo ſum occupatus. *C.* Age, perlege tuam epiſtolam: Ego interea ſtudebo. *M.* Ego quoque mox idem faciam.

COLLOQ. IX.

Percontatio de amico peregre abſente.

MEDARDUS. HERMANNUS.

QVo in ſtatu ſunt res veſtræ Leidenſes? *H.* Neſcio: jam pridem nihil audimus. *M.* Nihilne ſcripſit frater tuus? *H.* Poſt menſes duos nihil literarum miſit, quod viderit Pater. *M.* Fortaſſe ægrotat. *H.* Minime vero: nam tabellarii ſæpe nobis ſalutem nunciant verbis ejus. *M.* Libenter audio, illum recte valere. Valde eum diligo: quia fuit mihi ſvaviſſimus condiſcipulus. *H.* Ille (ut opinor) te viciſſim diligit. *M.* Id vero mihi non eſt dubium. Sed nos hora vocat; eamus in auditorium. *H.* Maturemus: jam recitatur Catalogus.

COLLOQ. X.

Obſervatoris publica admonitio: & reſponſio ad eundem.

DEſinite, o pueri, garrire abſente Magiſtro
Verba, quibus ſummus læditur ille Pater.
De ſtudiis potius tractate & rebus honeſtis.
Diſcite colloquiis verba latina loqui.
„Diſcite & inter vos reddenda revolvere ſæpe,
„Doctor enim pueris ſemper adeſſe nequit.

„Diſcite ſectari veſtigia certa bonorum;
Otia vos fallant blanda, cavete, precor.
En ego præmoneo, vos ne delectet abuti
Tempore, ne tergum verbera dura premant.
Ecce iterum vobis morem prædico Magiſtri:
Si quis erit cæſus, ne mihi det vitio.
B. Deſine plura loqui: nam nemo parere recuſat,
„Eſt monitor nobis optimus ille Pater,
„Illiusque Patris Natus, cui nomen IESUS:
Et qui nos renovans Spiritus intus alit.
O. Quem mihi ſperaſſem tam reſpondere paratum?
Quis puer Angelicos mittit ab ore ſonos?
O quam te memorem, noſtræ doctiſſime claſſis!
Nam tibi divinum carmen ab ore fluit.
Non ſum tam felix, ut fundam ex tempore verſus:
Sed modo quæ dixi, præmeditatus eram.
B. Si meditatus eras, qui nunc tam fundis aperte
Caſtalios latices? quis furor iſte novus?
O. Nam tua me tantis moverunt Carmina flammis,
Ut mihi nunc videar poſſe movere faces.
B. Sed cur immeritum tantis me laudibus effers?
Eſt tribuenda uni gloria ſumma DEO.
Atque utinam eloquium nobis ſpatiumque daretur:
Et noſtra in laudes ſolveret ora ſuas!
Sed quia tempus adeſt, ut voce & mente precemur,
I.que jubet doctor, deſino plura loqui

COL-

COLLOQ. XI.

Obſervatoris ars vana in ſimplicem & veracem.

OBSERVATOR. PUER.

QUid agis? *Pu.* Scribo. *O.* Quid ſcribis? *P.* Sententias. *O.* Quas? *P.* Ex Novo Teſtamento. *O.* Bene facis. Unde habuiſti? *P.* Hypodidaſcalus dictavit nobis. *O.* Quando? *P.* Heri. *O.* Quota horâ? *P.* Meridie. *O.* Ubi? *P.* In area. *O.* Qui aderant? *P.* Omnes domeſtici, præter primos & ſecundos. *O.* Ubi erant illi? *P.* In aula communi. *O.* Quid agebant? *P.* Diſputabant. *O.* Vale, & perge ſcribere.

COLLOQ. XII.

Innocentia juſta.

OBSERVATOR. PUERI ſtudentes.

QUid vos hic agitis pueri! Mihi videmini garrire & nugas agere. *Quidam Puer.* Longe falleris: nam repetimus una. *O.* Qua de re? *P.* De verbis anomalis, id quod reddendum eſt horâ tertia. *O.* Bene facitis. *P.* Vis audire noſtrum colloquium? *O.* Immo pergite; majus opus moveo; volo tendere laqueos picis & graculis. *P.* In area multos ad ſolem invenies. *O.* Retibus eſt illic præda parata meis.

COLLOQ. XIII.

Obſervatoris æquitas ac fides: & in hunc puerorum debita obſervantia.

OBSERVATOR. PUERI garrientes.

AT, at; Ecce nunc capti eſtis: nunc fatemini? P. Certe fatemur ingenue? ſed non dicebamus

mala verba. Quæſo te, mi Nicolae, ne velis notare nos. *O.* Quid garriebatis? Audivi, neſcio quid, de jentaculo. *P.* Illud eſt, loquebamur de jentaculo matutino: quia famulus non dederat in tempore. *O.* Puto id fuiſſe: nec certe eſt valde magnum malum, niſi quod ſunt otioſa verba. *P.* Sed Latine loquebamur. *O.* Audivi, ſed non erat fabulandi locus. Nam (ut ſcitis) hoc puſillum temporis a merenda debet vobis eſſe valde pretioſum, quum ſit dicatum ſtudio: ſcilicet, ut ſe diligenter quisque præparet ad reddenda Magiſtris ea, quæ præſcripſerunt: nonne verum dico? *P.* Certe verum dicis: nos debuiſſemus legere ſimul de Cicerone, quæ mox oportebit reddere: ſed ignoſce, precor, ſuaviſſime Nicolae. Poſthac erimus prudentiores, & officium noſtrum diligenter faciemus. *O.* Si ſic feceritis, Præceptor vos amabit magis quam oculos ſuos. Nonne videtis, quemadmodum diligat bonos pueros & ſtudioſos? Nec amat ſolum, ſed etiam laudat & præmiolis afficit. *P.* Iſta ſcimus & quotidie experimur. *O.* Ergo mementote, & promiſſa facite. *P.* Tacebis igitur hanc culpam? *O.* Tacebo, ſed ea lege, ut caveatis recidere. *P.* Cavebimus, Chriſto favente.

COLLOQ. XIV.

Nomenclator in abſentes.

NOMENCLATOR. PUER.

UBi eſt frater tuus? *P.* Modo ivit domum. *N.* Quid

N. Quid eo? *P*. Petitum nobis obſonium. *N*. Quid nunc vobis opus eſt obſonio? *P*. In merendam. *N*. An non habetis in arca veſtra? *P*. Non. *N*. Quid ita non? *P*. Quia mater non ſolet nobis dare obſonium, niſi in præſens tempus. *N*. Nempe quia novit vos eſſe guloſos. *P*. Quomodo guloſi ſumus. *N*. Quia fortaſſe uno convictu devoratis, quod in tres datum fuerit. *P*. Tace; ego dicam fratri, te nos guloſos vocare. *N*. Tace; ego dicam Præceptori, fratrem tuum nihil aliud agere, quam diſcurrere. *P*. Atqui prodire non ſolet, niſi cum bona venia Præceptoris. *N*. Atqui Præceptorem fallit. *P*. Quomodo fallit eum? *N*. Non enim mens eſt Præceptoris, ut ter quotidie prodeat. *P*. Sine illum venire: videbis, quid tibi reſpondeat. *N*. Immo ille viderit, quid Præceptori reſpondeat.

COLLOQ. XV.

Valetudinis nuncius. Pecuniæ dos jucunda. Evangelii jucundiſſima. Congreſſionis venia. Ad cœnam invitatio.

PAULUS. LAMBERTUS.

FRater tuus venitne Lubeca? *L*. Jam venit heri ante meridiem. *P*. Nihilne literarum tibi attulit? *L*. Nihil. *P*. Quid igitur nunciavit? *L*. Proſpera omnia. *P*. De Patre quid narrat potiſſimum? *L*. Ait illum, Dei beneficio, jam plane febri carere, & paulatim convaleſcere. *P*. Gaudeo ſane, DEumque precor, ut priſtinam valetudinem brevi recuperet. Sed cur ille (ut ſolet

ſolet) nihil ad te ſcripſit? *L.* Negat frater, eum potuiſſe ſcribere. *P.* Quamobrem? *L.* Quia nondum ſatis erat confirmatus. *P.* Nihil mirum: quum tam diu & tam graviter ægrotaverit. Sed ille nihil ad te miſit? *L.* Immo pecuniam. *P.* Euge, nullus eſt jucundior nuncius. *L.* Ita ajunt. *P.* Tu vero ſic reſpondes, quaſi fabulam audias. *L.* Quin pejus audio. *P.* Quidnam? *L.* Merum mendacium. *P.* Egone mentitus ſum? *L.* Non dico, te eſſe mentitum; ſed falſum dixiſti. *P.* Ego, quid dicas, non intelligo. *L.* Dabo operam, ut intelligas. *P.* Obſecro te. *L.* Si nullus eſt jucundior nuncius, quam de allata nobis pecunia: Quid ergo eſt Evangelium Chriſti? Quis eſt jucundior nuncius, quam de gratia DEI, quam Chriſtus attulit nobis per Evangelium? *P.* Fateor, nihil eſſe jucundius Evangelio, iis duntaxat, qui credunt ei, & ex animo amplectuntur. *L.* Equidem ſic intelligo. *P.* At ego loquor de humanis & terrenis rebus: tu vero ſtatim ad cœlum aſcendiſti. *L.* Ita ſolent boni concionatores. *P.* Non putabam te eſſe Theologum tam acutum. *L.* Nihil dixi, niſi quod eſt tritum, & in medio poſitum. *P.* Utinam illud adeo vulgare & protritum foret, ut omnes in Chriſtum crederent. *L.* Nunquam credent omnes. *P.* Quid prohibet? *L.* Quia multi ſunt vocati, pauci vero electi; ſicut Chriſtus teſtatur. *P.* Sed ne te diutius teneam, poteſne facere, ut fratrem tuum paucis conveniam? L. Vix poſſum. *P.* Quid ita? *L.* Nam habet

habet a patre noſtro mandata plurima; in quibus curandis totus eſt occupatus. *P.* Nonne cœnabit domi apud vos. *L.* Cœnabit, opinor. *P.* Ibo igitur ſub horam cœnæ. *L.* Veni, precor, & eadem opera nobiſcum cœnabis. *P.* Non recuſo. *L.* Interim vale; ſed fac memineris adeſſe tempori. *P.* Quota hora? *L.* Ante ſextam. *P.* Hora eſt mihi commodiſſima.

COLLOQ. XVI.

1. *Compactio libelli. Provecti adoleſcentis exemplum*
2. *in familiariter exercendo per colloquium Tyro-*
3. *nem; & in ſerviendo gratis ei liberali opera; & in*
4. *diſſimulando apte; & in monendo pie.*

VICTORINUS. ADRIANUS.

ROgo te, Adriane, compinge mihi hanc chartam. *A* Quid me rogas? Non eſt ars mea. *V.* Atqui aliis compingere non recuſas. *A.* Quot habes ſchedas? *V.* Octo; ſed jam ſunt complicatæ: tantum reſtat inſuere membranæ. *A.* Quid dabis, ſi tibi compegero? *V.* Nihil habeo, quod poſſim dare. Nam pecunia nulla mihi eſt. *A.* Ergo quære tibi alium opificem. Non enim gratis faciam. *V.* Mi Adriane, tu es tam bonus: denegabisne mihi rem tantillam? *A.* Scin tu, quid habet proverbium? *V.* Quod proverbium dicis? *A.* Manus manum fricat. *V.* Quid hoc ſibi vult? *A.* Da aliquid, ſi quid velis accipere. *V.* Si quid haberem, certe darem libenter. *A.* Cede merendam tuam. *V.* Merendam? Ah me miſerum, quid ederem? Mallem dare pileum,

leum, ſi auderem. *A.* Merenda tua parva res eſt. *V.* Sed vehementer eſurio. *A.* Quid cauſæ eſt? *V.* Quia nihil prandi, niſi fruſtum panis, & tres aut quatuor juglandes. *A.* Eho, quid cauſæ fuit? *V.* Quia mater domo aberat. *A.* Quis ergo tibi dedit merendam? *V.* Ipſa. *A.* Atque dicebas eam abfuiſſe. *V.* Verum eſt. Aberat enim tempore prandii, nec rediit, niſi paulo ante merendam. *A.* Nihilne ediſti domi, antequam in ludum venires? *V.* Nihil. *A.* Cur non? *V.* Quia timebam non adeſſe in tempore. *A.* Tintinnabuli ſonitus te ſatis admonere debet. *V.* Sed rarò audimus è noſtris ædibus. *A.* Quid ita? *V.* Quia longe nimis ab hac ſchola diſtant. *A.* Suntne vera iſta omnia, quæ mihi narras? *V.* Vera profectò, Adriane. *A.* Age, da mihi tuam chartam, ego tibi compingam elegantem libellum: tu interim ede merendam tuam. *V.* Ego petam à matre ſextantem, quem dabo tibi. *A.* Cave petas, nihil volo: quin potius darem tibi, ſi egeres. *V.* Ago tibi gratias. *A.* Nonne putabas, me ſerio petere abs te merendam? *V.* Profecto ſic putabam. *A.* Atqui dicebam joco. *V.* Quamobrem? *A.* Ut pauliſper audirem te Latinè fabulari: Nam quod benè diſcas, gaudeo. Quanti emiſti chartam hanc? *V.* Dedi pro codice aſſem cum ſemiſſe. *A.* Non emiſti malè, bona eſt; ſed non rectè complicaſti. Habes membranam? *V.* Ecce tibi. *A.* Benè res habet; ego citius confecero, quam tu merendam perederis. *V.* Habeo tibi maximam gratiam, mi Adriane.

A. Ho-

Digitized by Google

A. Honeſte loqueris, ſed memento fili, ut ſemper vivas in timore Domini: diligenter obedias matri: ſis frequens in ſchola: diligens in ſtudio: ne verſeris cum pravis ac diſſolutis. Denique quibus poteris, bene facito, quomodo vides me feciſſe tibi; intellexiſtine? *V.* Optime. *A.* Fac igitur, ut ſæpe recorderis. *V.* Faciam, DEO volente. *A.* Ede nunc otioſe.

COLLOQ. XVII.

Carnium differentia: DEI bonitas prædicanda. Simulatio vitanda. Pauperes miſeratione levandi.

DAVID. MATERNUS.

QVid tibi dedit mater in merendam? N. Vide. *D.* Caro eſt. Sed quænam? *M.* Bubula. *D.* Utrum recens, an ſalſa? *M.* Eſt bubula ſalita. *D.* Utrum pinguis, an macra? *M.* Eho inepte, non vides macram eſſe? *D.* Annon malles eſſe vitulinam aut vervecinam? *M.* Utraque bona eſt: ſed in omni genere ſapit mihi hœdina, præſertim aſſa. *D* Hem delicatule, jamne palatum tam doctum habes? *M.* Dico, ut ſentio. Non enim eſt mentiendum. *D.* Abſint à nobis mendacia. Sumus enim Filii DEI, & Chriſti fratres, qui eſt ipſa veritas, ut ipſe de ſe loquens teſtatur. *M.* Sed ad rem: ſuilla quoque veſcor libenter, modico ſale aſperſa & bene cocta. *D.* O mirificam DEI gratiam! qui dat nobis tot obſoniorum genera, tam bona. *M.* Quot putas eſſe in hac urbe pauperes, qui ſolo pane hordeaceo victitant: neque tamen ad ſaturitatem? *D.*

Non

Non dubito multos eſſe, in tanta præſertim annonæ caritate. *M.* Itaque nos in tanta bonarum rerum copia, quantas DEO gratias agere debemus? Quas laudes illi dicere? *D.* Ejus igitur beneficia magnifice ubique prædicemus, atque interim precemur, ut pauperum ſuorum miſereatur inopiæ. *M.* Utinam ipſe corda noſtra ſuo Spiritu ad eam rem penitus afficiat. *D.* Ita precor.

COLLOQ. XIIX.

Riſu inepto res ineptior nulla eſt.

ARNOLDUS. BLASIUS.

QVid rides? *B.* Neſcio. *A.* Neſcis? magnum ſignum ſtultitiæ. *B.* Me igitur ſtultum vocas? *A.* Minime vero, ſed dico tibi, argumentum eſſe ſtultitiæ, quum quis ridet, & ridendi cauſam neſcit. *B.* Quid eſt ſtultitia? *A.* Si diligenter evolvas Catonem tuum, iſtud, quod quæris, invenies. *B.* Non habeo mecum Catonem: ſed volo aliam rem agere. *A.* Quod habes negotium? *B.* Habeo ediſcere aliquid de Rudimentis. *A.* Et interim quæris fabulari, ineptule. *B.* Dic mihi (quæſo) de ſtultitia in Catone. *A.* Stultitiam ſimulare loco, prudentia ſumma eſt. Annon hæc didiciſti? *B.* Immo: Sed non recordabar. *A.* Quum domi eris, inſpice librum tuum. *B.* O quantas gratias ago tibi! ego proponam alicui iſtam quæſtionem, qui non potuit mihi reſpondere: & ſic erit victus. *A.* Tace, puer, tace & ſtude, ne vapulet. *B.* Non multum

Digitized by Google

tum curo: ego fere teneo prælectionem. *A.* Niſi taceas, dicam Obſervatori, qui te ſtatim notabit. *B.* Mane, mane, nihil dicam amplius. *A.* Sed memento id, quod dixi tibi. *B.* Quid eſt? *A.* Ne rideas unquam ſine cauſa. *B.* Sed ridere non eſt malum. *A.* Non dico iſtud. *B.* Quid igitur? *A.* Stultum eſt ſine cauſa ridere. *B.* Nunc intelligo. *A.* Recordare ſæpe.

COLLOQ. XIX.

Nuncius lætus de Evangelio.

CLEMENS. MELCHISEDECH.

ECquid habes novi? *M.* Accepi literas a fratre, qui Londini habitat. *C.* Quando accepiſti? *M.* Heri ſub noctem. *C.* Quis attulit? *M.* Veredarius. *C.* Quidnam intellexiſti ex iis literis? *M.* Omnia bene illic habere, quod ad Evangelium pertinet. *C.* Verane prædicas? *M.* Expecta, literas ipſas oſtendam tibi a prandio. *C.* Eſt profecto, quod noſtris fratribus gratulemur. *M.* Scilicet: quoque DEO noſtro gratias maximas agamus. *C.* Id quidem præſtare debemus omni tempore; ſed nunc maxime, quum audimus ea, quæ ad gloriam ejus præcipue pertinent. *M.* Utinam hoc ſemper haberemus in memoria! *C.* Communicabis igitur mecum tuas literas? *M.* Ut promiſi. *C.* Ergo poſt prandium. *M.* Etiam dubitas? *C.* Interea vale. *M.* Vale & ſalve, Clemens.

COLLOQ. XX.

Profectionis & itinerum.

ISRAEL. MATTHÆUS.

EStne domi frater tuus? *M.* Cur iſtud rogas? *I.* Pater meus volebat eum convenire. *M.* Non eſt in hac urbe. *I.* Ubi igitur? M. Peregrè profectus eſt. *I.* Quando? *M.* Nudius tertius. *I.* Quonam ivit? *M.* Lutetiam. *I.* Qua iter facturus eſt? *M.* Argentina. *I.* Utrum pedes, an eques ivit? *M.* Ivit in equo. *I.* Quando eſt rediturus? *M.* Neſcio. *I.* Sed quem terminum conſtituit illi pater? *M.* Juſſit, ut hic adeſſet ad viceſimum hujus menſis diem. *I.* Ducat illum DEus, ac reducat. *M.* Ita precor.

COLLOQ. XXI.

Profectio ad vindemiam. Ruſticationis in pueris deſiderium.

DESIDERIUS. BENEDICTUS.

QVando profecturus es domum? *B.* Cras, DEO juvante. *D.* Quis juſſit? *B.* Pater. *D.* Quando autem juſſit? *B.* Ad me ſcripſit ſuperiore hebdomade. *D.* Quo die literas accepiſti? *B.* Die Veneris. *D.* Quid continebant præterea literæ? *B.* Omnes rectè valere: Proximis diebus initium fore vindemiæ. *D.* O fortunatum, qui vindemiatum properas! *B.* Vis dicam patri meo ut te accerſat? *D.* Quam gratum mihi faceres? Sed vereor, ut nolit. *B.* Immo gaudebit, cum propter noſtram conjunctionem, tum vero quia & Latine colloquendo nos exercebimus, & de ſtudiis unâ interdum conferemus. *D.* Oh! Gaudeo totus, exſilio, amabo te, id

id cura, mi animule. *B.* Senties: interim DEum precemur, ut dicta, facta & conſilia noſtra vertat in gloriam ſui nominis. *D.* Bene mones, & certe ita expedit facere.

COLLOQ. XXII.

Obviantes. Hybernatio. Vindemiatio.

AURELIUS. LAMBERTUS.

SIſte parumper gradum Lamberte: quò properas? *L.* Recta domum. *A.* Quid eò? *L.* Mater vult me paucis convenire. *A.* Neſcis, quam ob rem? *L.* Neſcio, niſi forte ut veſtimenta hyberna mihi facienda curet. *A.* Iſtud eſt veriſimile: jam enim inſtat hyems. *L.* Jam viſa ſunt gelicidia & glacies etiam alicubi. *A.* His diebus vidi in foro montanos quosdam, qui dicebant magnam vim nivium decidiſſe ſuperiori hebdomate, quum hic interea lentas pluvias tantum videremus. *L.* Ego quoque id ipſum audivi domi noſtræ ex ruſticis, qui triticum nobis advexerant. Sed cogor abrumpere ſermonem, ne mihi iraſcatur mater. *A.* Sed heus tu, mi Lamberte, affer mihi domo aliquot uvas; nam ampliſſima fuit vobis vindemia. *L.* Afferam (ut ſpero) utrique noſtrum affatim: Niſi ſi quid forte mater irata eſt mihi. *A.* Iſtud avertat DEus.

COLLOQ. XXIII.

Tonſoris opera. Venia Præceptoris, & interpellatio.

PHILIPPUS. BARTHOLOMÆUS.

QVonam is tam celeriter? *B.* Ad tonſorem. *P.* Ego quoque una tecum ibo. *B.* Rogaſti veniam? *P.* Non rogavi; ſed tantiſper expecta me, dum eo rogatum. *B.* Feſtina igitur. *P.* Mox rediero. Redii, eamus nunc jam. *B.* Quo vultu te Præceptor excepit? *P.* Hilari ſane. *B.* Eodem me quoque acceperat. *P.* Non ſolet iraſci nobis, niſi illum adeamus intempeſtive. *B.* Quotusquisque id non ægre fert? *P.* Etiam nos, qui pueri ſumus, ſæpius iraſcimur condiſcipulis, quum ſtudia noſtra, quantulacunque ſunt, interpellant. Sed jam deſinamus. Optime tonſorem ante officinam video. *B.* Euge, nulli ſunt igitur expectantes; Ita fiet, ut minus diu moremur.

COLLOQ. XXIV.

Iter ad portum, dux, comes, confabulatores ſcholaſtici. Res nautica.

ALFINUS. BRANDANUS.

QVo nunc ſolus abis? *B.* Semper a verſibus aliquid auſpicaris. *A.* Facile eſt carmen incipere, deducere non idem. Sed dic, quo nunc is? *B.* Recta in portum. *A.* Quid in portu habes negotii? *B.* Viſo, ecquid alimenti mihi advectum ſit. *A.* Vis me tibi comitem? *B.* Immo etiam ducem, ſi tibi ita videtur. *A.* Nunquam dux eſſe didici: ſed ſæpe egi comitem. *B.* Nihil ad rem pertinet, pluribus verbis hic fabulari, eamus unà. *A.* Eamus ſane, confabulari licebit

bit amplius, ambulando in ripa Mœni, ſi navis nondum appulſa ſit. *B.* Quid, ſi jam ſit appulſa? *A.* Tamen deambulare ſatis diu poterimus, dum exoneratur.

COLLOQ. XXV.

Ruſticatio vocatu patris: Venia Præceptoris.

NOMENCLATOR. PUER.

UBi eſt Petrus? *P.* Ivit foras. *N.* Quo? *P.* Abiit rus. *N.* Quo cum? *P.* Cum Patre. *N.* Quis venerat accerſitum? *P.* Patris famulus. *N.* Quando eſt in urbem rediturus? *P.* Hinc (ut dixit) ad octavum diem. *N.* A quo petivit abeundi veniam? *P.* Ab Hypodidaſcalo. *N.* Cur non potius à Ludimagiſtro? *P.* Ad negotia prodierat. *N.* Sat habeo.

COLLOQ. XXVI.

Theca ſcriptoria. Cingulum.

RICHARDUS. NEHEMIAS.

QVo aſcendis? *N.* In cubiculum noſtrum. *R.* Quid eò? *N.* Petitum thecam ſcriptoriam. *R.* Affer mihi cingulum eadem opera. *N.* Ubi eſt? *R.* Super arcam meam. *N.* Afferam: ſed tu me hic expecta. *R.* Nusquam moveo.

COLLOQ. XXVII.

Foras evocatus.

LEVINUS. GERHARDUS.

HEus Gerharde! *G.* Quid vis, *L.* Accerſeris. *G.* Quis me vocat? *L.* Frater tuus. *G.* Ubi eſt? *L.* Præ foribus te expectat. *G.* Certo ſcis,

Digitized by Google

eſſe fratrem meum? *L.* Quidni ſciam? Vidi illum, & ſum alloquutus. *G.* Viſo ſane quis ſit.

COLLOQ. XXVIII.

1. Obſervatorem decet æquitas non rigor & rixa:
2. Quamvis vicem Præceptoris gerat. Parentum no-
3. mine qui ſunt.

PASCHASIUS. ULRICUS.

NEſcis vetitum eſſe, ne ſubmiſſe loquamur inter nos? *U.* Quidni ſcirem? quum Præceptor tam ſæpe nobis inculcet ejus rei cauſas. *P.* Cur igitur modo faciebas contra? *U.* Quia Iſaias ita me cœperat alloqui. *P.* Quid tum? Debuiſti illum admonere, non imitari. *U.* Debui: ſed tunc mihi non venit in mentem. *P.* Interim tamen notandus es. *U.* Minime vero, niſi vis eſſe ipſo Præceptore ſeverior. *P.* Dic mihi cauſam. *U.* Quia Præceptor vetat quempiam „notari, qui ſponte delictum agnoverit: modo „ne tale ſit factum, quod verbo DEI interdictum ſit. *P.* Nonne a DEO præceptum eſt, ut parentibus obediremus? *U.* Illud eſt quartum Decalogi præceptum. *P.* Atqui (ut habemus in Catechiſmo) præceptum illud patet latius. Nam „parentum nomine, Præceptores complectun- „tur & Magiſtratus, & denique omnes, quibus „DEus ipſe nos ſubjecit. *U.* Non equidem ne- „go vera eſſe, quæ narras: ſed malo Præceptorem conſulere, quam tecum diſputare: alioqui in majus malum me induceres, quod eſt contentionis vitium, multo magis a Præceptore vetitum.

tum. *P.* Æquum dicis; memineris igitur Præceptorem admonere, cum rationes a vobis exiget. *U.* Ne putes, me obliturum, præſertim cum mea res agatur.

COLLOQ. XXIX.

Curioſus nemo eſt, quin idem ſit malevolus. Plautus.

REMPERTUS. FRIDERICUS.

UNde venis? F. E. foro. *R.* Quid illic audiviſti novi? *F.* Nihil. *R.* Nihilne? *F.* Nihil prorſus. *R.* Mirum eſt, te nihil audiſſe de bello, aut de cæteris rebus Gallicis. *F.* De iis, quæ nihil ad me pertinent, non ſoleo percontari. *R.* Eſto; ſed tamen aliquid vel in tranſitu audiri ſolet. *F.* Ne mentiar, intellexi non nihil in tranſitu. *R.* Narra mihi quæſo. *F.* Nunc non eſt narrandi ſpatium. *R.* Cur non? *F.* Eſt mihi aliò properandum. *R.* Quonam? *F.* Nihil ad te. *R.* Quando igitur reviſes nos, ut ex te iſtud audiamus? *F.* A prandio, ſi licebit per otium. *R.* Amabo te, fac liceat. *F.* Dabo operam, ſed me detines diutius. Vale.

COLLOQ. XXX.

Emtio vetita.

ALBERTUS. BERTHOLDUS.

UNde venis? *B.* A foro. *A.* Quis te illuc miſerat? *B.* Mater. *A.* Quid egiſti in foro? *B.* Emi pira. *A.* Neſcis nobis vetitum eſſe emere fructus aliquos. *B.* Quis illud ignorat? Nam dictum eſt palam in aula. *A.* Quid igitur

auſus es emere pira? *B.* Mater dederat mihi ſextantem, ut mihi emerem in merendam. Quid mali feci, ſi parui matri?

COLLOQ. XXXI.

Reverſio a Ruſticatione.

FRANCISCUS. DIONISIUS.

UBi fuiſti his diebus? *D.* Ruri. *F.* Quo in loco? *D.* In villa noſtra. *F.* Quid agebas illic? *D.* Miniſtrabam patri. *F.* Quid vero ille? *D.* Paſtinabat vites noſtras. *F.* Quando illinc rediiſti? *D.* Heri tantum. *F.* Quid pater? *D.* Una mecum reverſus eſt. *F.* Bene factum: ſed quo nunc is? *D.* Recta domum. *F.* Quando repetes ludum literarium? *D.* Cras, juvante DEO, aut ſummum perendie? *F.* Ergo interim vale. *D.* Et tu vale, mi Franciſce.

COLLOQ. XXXII.

Nomenclatoris Vicarius.

FELICIANUS. CONSTANTINUS.

QUando rediturus eſt Blaſius? *C.* Non certo ſcio: fortaſſe die craſtino. Sed cur iſtud rogas? *F.* Quia ſecum abſtulit Catalogum, & Præceptor iraſcetur, ſi nemo ſit, qui recitet. *C.* Relinque mihi iſtam curam; habeo Catalogi exemplum. *F.* Recitabis igitur? *C.* Recitabo. *F.* Bene facies: & noſter Blaſius referet gratiam, ſi qua ſe offert occaſio.

COLLOQ. XXXIII.

Syntaxis nominis. Domus locatio & conductio. Pia eventus affirmatio. Pilæ luſus.

GER-

GERVASIUS. FAUTUS.

QUod eſt tibi domicilium? *F.* Paterna domus. *G.* Unde nunc venis? *F.* Domo. *G.* Ubi prandiſti? *F.* Domi. *G.* Ubi cœnabis? *F.* Domi veſtræ, ut ſpero. *G.* Qui ſcis? *F.* Pater ipſe tuus hodie me invitavit. *G.* Ubi illum vidiſti? *F.* Domi patrui. *G.* Quod illic erat tibi negotium? *F.* Pater me miſerat nunciatum aliquid. *G.* Scire etiam velim, ubi ſis cubiturus. *F.* Domi fratris. *G.* Quid habes negotii cum fratre tuo? *F.* Dixit ſorori noſtræ, ſe velle convenire me otioſe. *G.* In qua domo habitat? *F.* In quadam conductitia. *G.* Eho! nullamne habet propriam domum? *F.* Habet quidem, ſed eam locat quibusdam inquilinis. *G.* Locat igitur domum propriam, conduxit alienam? *F.* Scilicet, ut ex me audis. *G.* Quanti locat? *F.* Octodecim thaleris, quos Joachimicos vocant. *G.* Cur illam non potius habitat? *F.* Quia ſita non eſt in loco ſatis commodo, ſive (ut ita loquar) mercatorio. *G.* Sed illam alienam quanti conducit? *F.* Longe pluris. *G.* Quanti igitur? *F.* Quinque & viginti. *G.* Cara eſt habitatio. *F.* Cariſſima? Sed quid aget? Loci commoditas id facit. *G.* Age (ut aliquando tandem finiamus) dic precor, ſcisne ubi cras futurus ſis? *F.* Domum revertar, ut inde in ſcholam me conferam: ſi quidem permiſerit Dominus. *G.* Cur addis: ſi Dominus permiſerit? *F.* Quia ſine permiſſu Dei, ne Domo quidem exire poſſemus. *G.* Iſtud audivi ſæpe ex Præceptore. *F.* Cur

 ergo

ergo rogabas? *G*. Quia nunquam nimis dicitur, quod bene dictum fuerit; præſertim ubi de rebus divinis agitur. *F*. Iſtud quoque ex Præceptore didicimus. *G*. Verum: ſed utile eſt talia ſæpe repetere ad memoriam exercendam. *F*. Vide quo nos ſenſim adduxerit tua prima interrogatio. *G*. Tantum volebam paucis verbis tecum jocari. *F*. Age, quoniam nunc ſatis animum exercuimus, non vis etiam corpus exercere valetudinis cauſa? *G*. Quidni velim? *F*. Eamus igitur luſum pilâ palmaria: nam eo luſu ſcio te delectari. *F*. Delector ſane, ſed nunc pilam non habeo. *G*. Ecce tibi; ſequere me. *F*. Ego te ſequor libens. Tu me bene ducito.

COLLOQ. XXXIV.

1. 2. Crediti poſtulatio. Gratiæ referendæ ſtudium. Eventus omnis a DEO.

CREDITOR. DEBITOR.

QVoad Patris reditum expectas? *D*. Hinc ad diem octavum. *C*. Qui ſcis diem? *D*. Ipſe pater ad me ſcripſit. *C*. Adventus ejus (ut 1. ſpero) te ditabit. *D*. Crœſo ditior ero, ſi bene nummatus venerit. *C*. Tunc mihi mutuum reddes? *D*. Non eſt, quod dubites, quin, ſi tibi opus erit amplius, non modo reddam mutuum, ſed etiam referam gratiam. *C*. Quomodo? *D*. Pecuniam mutuam viciſſim dabo. *C*. Nihil opus erit, ſpero. *D*. An neſcis, quid poſſit accidere. *C*. Tempus eſt breviſſimum. *D*. Non eò dico, quod tibi velim ominari malum. *C*. Quicquid ominentur homines, DEus clavum tenet. *D*. Sed 2. quid

quid ceſſamus recipere nos in auditorium? *C.* 3. Opportune admones.

COLLOQ. XXXV.

1. 2. Prandium domeſticum. Commeatio. Paterna
3. 4. opera exercitationis literariæ. Gratia pro benefactis DEO & mortalibus.

PAMPHILIUS. MUTIUS.

QVando rediiſti domo? *M.* Nunc primum redeo. *P.* Ubi eſt frater? *M.* Manſit domi. *P.* Cur manſit? *M.* Ut pranderet cum matre. *P.* Tu vero, cur etiam non manſiſti? *M.* Jam pranderam cum patre. *P.* Quis vobis miniſtrabat? *M.* Ancilla. *P.* Quid mater? Ubi erat? *M.* Etiam domi: ſed occupata. *P.* Qua in re? *M.* In recipiendo tritico, quod nobis advectum fuerat. *P.* Quando redibis domum? *M.* Quum accerſar a Patre. *P.* Quo die iſtud erit? *M.* Fortaſſe hinc ad quatuor dies. *P.* Cur vos tam ſæpe commeatis? *M.* Sic volunt parentes. *P.* Quid agitis domi? *M.* Quod jubemur a parentibus. *P.* Sed interim perit vobis ſtudiorum tempus. *M.* Non omnino perit. *P.* Quid igitur? *M.* Quoties pater non eſt neceſſario occupatus, omnibus horis exercet nos: mane, ante & poſt prandium, ante cœnam, a cœna ſatis diu. Poſtremo etiam antequam cubitum eamus. *P.* Quibus rebus vos exercet? *M.* Exigit a nobis ea potiſſimum, quæ tota hebdomate in ſchola didicimus, themata noſtra inſpicit, ac de iis nos interrogat. Sæpe dat nobis aliquid modo Latinè, modo Germanice

manice deſcribendum, interdum etiam nobis proponit brevem ſententiam vernaculo ſermone, quam Latine vertamus; interdum contra jubet aliquid Latinum Germanice reddere. *P.* Mira narras, ſi modo vera. *M.* Immo ſunt longe plura, quam quæ tibi narravi. Sum enim oblitus morum civilitatem, de qua etiam admonere nos ſolet in menſa. *P.* Cur Pater veſter tantum ſubit laborem in vobis docendis? *M.* Ut ſic intelligat, num in ſchola operam ludamus, & tempore abutamur. *P.* Mira hominis diligentia, atque adeo prudentia! O quam devincti eſtis Patri cœleſti, qui talem patrem in terra dedit vobis! *M.* Faxit ille, ut hoc & cetera ejus beneficia nunquam obliviſcamur. *P.* Bonum & pium eſt illud optatum; cura, ut habeas non modo in ore, ſed in animo etiam magis. *M.* Quod me tam fideliter mones, habeo tibi gratiam. *P.* Bene monendi officium debemus omnibus, ſed maxime fratribus. *M.* Recte judicas. Sed viſo, num frater domo tandem reverterit; Nam ad ceſſandum promptus eſt plus ſatis.

COLLOQ. XXXVI.

Scriptoria arma & adjumenta. Pecunia nervus rerum. Charitas ultro juvans e Sancto DEI Spiritu.

MATURINUS. PORTIUS.

SErione ſcribis, ac ineptis? *P.* Equidem ſcribo ſerio: cur enim tempore abuterer? Tu vero cur iſtud rogas? *M.* Quia vidi aliquando, quum bene ſcriberes. *P.* Scribo interdum melius. *M.* Qui fit igitur, ut nunc jam ſcribas male? *P.* Deſunt

ſunt mihi bene ſcribendi adjumenta. *M.* Quæ tandem? *P.* Bona charta, bonum atramentum, bona penna. Nam hæc mea charta (ut vides) miſere perfluit: atramentum eſt aquoſum & ſubalbidum: penna mollis & male parata. *M.* Cur iſta omnia mature non providiſti? *P.* Pecunia mihi deerat, & nunc etiam deeſt. *M.* Incidiſti in illud vulgare Proverbium: Cui deeſt pecunia, huic deſunt omnia. *P.* Sic agitur mecum. *M.* Sed quando te ſperas accepturum? *P.* In mercatu proximo pater ad me miſſurus eſt, aut ipſemet venturus. *M.* Ego te interea juvare volo. *P.* Siquidem id potes, magno beneficio me affeceris. *M.* Accipe hos ſex aſſes mutuo ad chartam & cætera comparanda. *P.* Quam vere dictum eſt illud: Amicus certus in re incerta cernitur. Sed quid te impellit, ut mihi ultro tam benigne facias? *M.* Charitas illa Dei; quæ (ut Paulus ait) effuſa eſt in cordibus noſtris. *P.* mira eſt vis divini Spiritus, qui ejus auctor eſt charitatis. Sed mihi interim cogitandum, quomodo tibi referam gratiam. *M.* Parva res eſt, omitte iſtam cogitationem, ne te impediat, quo minus in utramvis aurem dormias: tantum redde mutuum, quum tibi commodum fuerit. *P.* Reddam (ut ſpero) propediem. *M.* Eamus ad precationem, ne notemur. *P.* Addo unum, ſi placet. *M.* Quid eſt? *P.* Ne hodie incœnati mittamur cubitum. *M.* Ha, ha, he!

COLLOQ. XXXVII.

1. 2. Matutinum colloquium cubitu ſurgentium,

3. 4.

Digitized by Google

3. 4. *Matutina opera, Catonis ſententia. Philoſo-*
5. *phica ſapientia. Comprecatio mutua.*

VALENTINUS. STEPHANUS.

1. QUota hora ſurrexiſti hodie? *S.* Paulo ante quintam. *V.* Quis te expergefecit? *S.* Nemo. *V.* An cæteri jam ſurrexerant? *S.* Nondum. *V.* Non iviſti illos excitatum? *S.* Non ivi. *V.* Quamobrem? *S.* Neſcio: niſi quia non putabam illud ad me pertinere. *V.* Annon te illi excitant interdum? *S.* Immo ſæpiſſime. *V.* Debuiſti igitur ſimiliter facere. *S.* Debui, fateor. *V.* Memento igitur, ut poſthac facias. *S.* Meminero, DEO juvante. *V.* Sed tu quid
2. feciſti, qui ſurrexiſti è lecto? *S.* Primum flexis genibus precatus ſum. *V.* Factum bene. Quid poſtea? *S.* Deinde ornavi me, & curavi corpus mediocriter, ut Chriſtianum decet, poſtremo ad quotidiana ſtudia me retuli. *V.* Si perges ſic facere, ne dubites, quin DEus tua juvet ſtudia. *S.* Adhuc me ſemper juvit, quæ eſt ejus benignitas; nec me (ut ſpero) derelinquet. *V.* Recte loqueris: nec ille ſpem tuam fruſtrabitur. *S.* Anno ſuperiore didici
3. in Catone:

Spem retine! ſpes una hominem nec morte relinquit.

V. Quod retinueris, bene feciſti. Eſt enim egregia ſententia & homine Chriſtiano digna. *S.* Atqui Auctor ejus libri non fuit Chriſtianus. *V.* Non fuit, certa res eſt. *S.* Unde igitur

lum-

ſumſit tot pulchras ſententias? *V.* Maxime
4. ex Philoſophis Ethnicis. Nam & ipſi divino Spiritu illuminati plurima dixerunt, quæ ſunt verbo DEI conſentanea. Quod tu quoque videre aliquando poteris, ſi literarum ſtudium proſequeris. *S.* Ego proſequar, (ut ſpero) dummodo ipſe DEus det Patri meo vitam longiorem. *V.* Precare diligenter & ex animo, ut illud contingat. *S.* Quotidie id precor ſæpe. *V.* Det tibi Dominus DEus in omni opere bono perſeverantiam. *S.* Quod mihi optas, idem tibi precor, & gratias ago, quod me tam fraternè monueris.

COLLOQ. XXXVIII.

1. 2. Luſio ſpe lucri inboneſta. Fortuna luſorum.
3. 4. Fortuna nil eſt. Pia ſit cautio loquendi
5. 6. Amice monendum. Amice colludendum.

DIONYSIUS. BERNHARDUS.

UBI ſunt juglandes tuæ? *B.* De quibus loqueris juglandibus? *D.* Quas hodie ex præmio accepiſti. *B.* Ubi ſunt, rogas? Quaſi vero tibi ſervare debuerim. *D.* Non ſic intelligo, ſed quæro, quid feceris. *B.* Edi in merenda. *D.* Ediſti miſer? Cur non potius ſervabas ad ludendum? *B.* Edere malui quam perdere. *D.* Non poteras perdere, niſi duodecim. *B.* Fateor. *D.* Quod ſi ſors tuliſſet, potuiſſes ducentas aut fortaſſe plures lucri facere. *B.* Dubius eſt (ut vulgo dicitur) ludi eventus. *D.* Quid tum? ubique parati eſſe debemus in utramque partem, & boni conſulere, quic-

quicquid nobis evenerit. *B.* Iſtud ego ſcio; ſed non ſum admodum ludendi peritus in eo genere. *D.* Abi: nunquam rem facies. *B.* Nemo rem facit, niſi Deo volente, nec ego ditari ex ludo velim. *D.* Ergo (video) quærendus mihi eſt colluſor alius. *B.* Nihil ſane impedio. Sed mane parumper. *D.* Quid vis? *B.* Quid tu vocas ſortem, de qua hic mihi mentionem feciſti? *D.* Ipſam fortunam? *B.* Quid autem eſt fortuna? *D.* Stultorum opinio. *B.* De fortuna quid opinantur ſtulti? *D.* Nunc mihi non vacat de hoc tibi reſpondere; ſed vide annotationem Præceptoris in Catonem. *B.* In quem locum? *D.* In illum verſiculum:

Indulget fortuna malis, ut lædere poſſit.

B. Ut video, non ignoras, quid ſit fortuna. *D.* Satis ſcio, fortunam nihil eſſe. *B.* Cur ergo dixiſti: Quod ſi ſors tuliſſet? *D.* Excidit mihi ſic loqui Ethnicorum more. Nam eorum libri, (ut ſæpe docet Præceptor) pleni ſunt ejusmodi impia doctrinâ. *B.* Nihil mirum: Nempe illi veram Dei cognitionem non habuerunt. *D.* Sed audi, mi Bernharde, ſi vis amplius diſputare, quære tibi alios diſputatores; nam mihi nunc ſerio ludendum eſt: volo tamen prius te viciſſim admonere. *B.* O quam gratum mihi feceris! *D.* Nonne tu dixiſti hæc verba: Dubius eſt ludi eventus. *B.* Fateor me dixiſſe, ſed præmunivi. *D.* Quomodo illud intelligis? *B.* Addidi enim hæc tria verba: Ut vulgo dicitur. *D.* O aſtutam vulpeculam! Os occluſiſti mihi. Sed hæc inter

nos

nos ſine odio aut malevolentia dicta ſint. *B.* Novit DEus utriusque animum. *D.* Eſt enim ille ſolus cordium ſcrutator. Sed quid tu? Vis hic ſolus otio torpeſcere? *B.* Cogito, quo luſu me exerceam. *D.* Quaſi vero ſit diutius cogitandum. Age, ſequere me: dabo tibi mutuo juglandes. *B.* Amice nunc loqueris: ſed quando reddam? *D.* Ad Calendas Græcas, ſi non potes citius. *B.* O feſtivum caput! Eamus.

COLLOQ. XXXIX.

Ingeniorum diverſitas: alterum literarum, ludorum alterum avidum.

HENRICUS. JACOBUS.

JAcobe. *J.* Quid vis? *H.* Repetamus unà prælectionem. *J.* Non eſt mihi otium. *H.* Quid habes negotii? *J.* Volo ſcribere. *H.* Quid ſcribere paras? *J.* Dictata Præceptoris. *H.* Cur heri non ſcripſiſti. *J.* Quo tempore ſcripſiſſem? *H.* Quum luderetur. *J.* At ego nolebam amittere ludendi occaſionem. *H.* Ah piger! nihil aliud quam luſiones meditaris. Nonne diebus Mercurii & Sabbathi ternæ ſunt horæ liberæ? *J.* Liberæ quidem ſunt, ſed ad luſum deſtinatæ, deputatæ, attributæ, aſſignatæ. *H.* Immo partim luſibus, aut alicui honeſtæ remiſſioni; partim ſtudio literario ſunt dicatæ. *J.* Fateor, duntaxat iis, qui volunt immori ſtudiis. *H.* Non poteras heri ſeſquihoram detrahere de ludo tuo, aut ſaltem horam unicam? *J.* Tu ſtude, quantum voles: ego vero ludam, quamdiu licebit. *H.* Per me quidem licebit: Sed interim parum promo-

vebis in literis. *J.* Nonne Præceptori ſatisfacio? *H.* Utcunque. *J.* Tu igitur, ſtudioſe, vis eſſe Præceptore ipſo ſeverior? Omitte me tandem: age tuum negotium, ego meum. *H.* Age, age, ut libet.

COLLOQ. XL.

Monitoris probi contemtor; & ſolidæ eruditionis veræque felicitatis. Sic ſolet mundus.

RUDOLPHUS. CAROLUS.

QVando repetes ludum literarium? *C.* Neſcio. *R.* Cur de hac re patrem non admones? *C.* Quid? putas me curare? *R.* Parum, ut credo. *C.* Profecto verum dicis. *R.* Satis eſt ſigni te non amare literas. *C.* Scio legere, ſcribere, latine loqui, ſaltem mediocriter: quid opus eſt mihi tanta ſcientia? *R.* O miſerum adoleſcentem! Siccine rem contemnis inæſtimabilem? *C.* Quid tu ſic exclamas? Unde tibi videor miſer? *R.* Amice, nulla tibi à me orta eſt injuria. Quod enim tibi dixi, non eſt convitium: nec tu in malam partem accipias: ſed miſereor tui, quia id contemnis, quod felicitatem parit. *C.* Lucrum, divitiæ & voluptas felicitatem pariunt. *R.* Immo iſta multis fuerunt exitio: tametſi divitiæ ſunt donum DEI, nec nocent, niſi iis, qui abutuntur. Verum enim vero nulla eſt homini pretioſior poſſeſſio, quam virtus, & rerum honeſtarum cognitio. *C.* Vis igitur concionari, ut video. *R.* Utinam divinas conciones audiviſſes diligenter! *C.* Hem, obtundis me, nunquid vis? *R.* Ut bonam mentem det tibi DEus. *C.* Ea fortaſſe tibi magis opus quam mihi. Vale.

LIBER

Digitized by Google

LIBER III.

COLLOQ. I.

Ingenium averſum à literis emendandum.

ANTONIUS. BLASIUS.

MIror ego, quid tibi velis. Tu enim ſemper es otioſus, aut garris, aut ineptis. *B.* Quid vis faciam? *A.* Ut ſtudeas diligenter. *B.* Cur me iſtud mones? *A.* Pro meo in te amore, tuaque utilitate. *B.* Fruſtra mones. *A.* Quid ita? *B.* Quia non eſt mihi animus in literis. *A.* Quid ergo velles? *B* Diſcere aliquam artem aptam ingenio meo. *A.* Jamne cogitaſti, quænam ars tibi placeat potiſſimum? *B.* Jam pridem. *A.* Cur ergo patrem non admones? *B.* Nunquam auſus ſum. *A.* Cur non? *B.* Vereor, ne mihi iraſcatur. *A.* Roga Præceptorem, ut illi dicat. *B.* Immo te oro, mi Antoni, dic tu ipſe Præceptori meis verbis; Nam verecundia me impedit. Facieſne, quod rogo? *A.* Faciam certe; idque libentiſſime. Valde enim tædet me videre te adeo remiſſum. *B.* O quam mihi gratum feceris! *A.* Sed Præceptor te appellabit. *B.* Quid tum? Oblata occaſio me audacem reddet ad mentem meam libere aperiendam. *A.* Rectè judicas. *B.* Tu igitur fac promiſſi memineris: deinde renuncia mihi, quid ille tibi reſponderit. *A.* Alioqui eſſem tibi nuncius inutilis.

COLLOQ. II.

Horarum ratio. Latinitatis jucunditas. Flagitioſorum fœditas, & in pios odium. Refractariorum & deſperatorum mores.

 MICHA-

MICHAEL. FABIANUS.

SAlve Fabiane! *F.* Tu quoque ſalvus ſis. *M.* Quota eſt hora? *F.* Mox audies ſonum ſemihoræ poſt quintam. *M* Bene habet: mature ſatis aderimus. *F.* Gaudeo me tibi occurriſſe. *M.* At euntes Latinè tantiſper colloquamur. *F.* Ea ſane eſt utilis & jucunda exercitatio. *M.* Quoties incido in aliquem ex iſtis diſſolutis nebulonibus, mallem rhedarium offendiſſe. Non enim per eos mihi licet aliquid in via meditari: Adeo mihi ſunt eorum mores odioſi. *F.* Nihil mirum. Nam fere ſunt ejusmodi, ut neque loqui velint quippiam boni, neque audire ſuſtineant. *M.* Quid cum illis agas, quibus nihil eſt curæ, niſi ut ſuas libidines expleant, nihil aliud crepant, niſi ut ſuas cupedias, & meras compotationes in ſecretis cauponulis peragant. Etiam nos irrident plenis buccis, quod latinè per vicos loquamur. Illud vero eſt omnium peſſimum, quod nusquam ſe patiuntur admoneri. *F.* Quia ſcilicet (ut ait Propheta) non eſt timor DEI ante oculos eorum. *M.* Si quid occœperis amice commonere, ſtatim audies: Tace concionator, obtundis me. Quid ſi dixeris: deferam te ad Præceptorem, ad Obſervatorem. Oh, ego iſtud non curo, inquiunt; tu non audebis? nam ſi me accuſares, non ferres impunè. *F.* Immò verò te continuo verberabunt, ſi locus erit ſemotus ab arbitris. *M.* Profectò quum quidam eorum me nuper offendiſſet in quodam receſſu, impegit mihi in utramque malam duos ingentes colaphos, & aufugit

fugit continuò. *F.* Quid tu, quæſo, intereà? *M.* Quid illud quæris? Tam illud ſubitum fuit, ut vix hominem aſpicere potuerim. *F.* Sed qui tam cito & lenſim ad ſcholam pervenimus? *M.* Sic ferè confabulantibus uſu venire ſolet. *F.* Age, ingrediamur ſine murmure & ſtrepitu, ne ſtudentes offendamus.

COLLOQ. III.

Veſtis mutatio commoda.

PHILEMON. AMBROSIUS.

UNde affers iſtam tuniculam? *A.* Domo. *P.* Quid vis facere? *A.* Volo induere. *P.* Nunc non eſt mutandi tempus. *A* Quando igitur? *P.* Cras mane, quum ſurges è lecto. *A.* Benè mones, expectabo.

COLLOQ. IV.

Conjugis dotes optimæ & gratulatio fauſta.

ANTONIUS. DANIEL.

EUge, audivi ſororem tuam nupſiſſe. *D.* Verum audiſti. *A.* Quis eſt maritus ejus? *D.* Quidam civis Baſilienſis, honeſtis parentibus progenitus. *A.* Eſtne dives? *D.* Sic habetur; ſed tamen pater meus hæc longè pluris facit; primum, quod ille ſit bene moratus adoloſcens; deinde, quod non ſolum doctiſſimus, ſed etiam bonarum literarum amantiſſimus; denique quod verus DEI cultor & Chriſtianæ Religionis ſummus obſervator. *A.* Mihi narras egregios adoleſcentis titulos. O felicem ſororem tuam, quæ DEI beneficio talem virum nacta eſt! *D.* Felicem ſane non abs re dixeris; ſiquidem bonum

 illud

illud perpetuo ſic agnoſcat, ut ſemper meminerit ex DEI bonitate profectum eſſe, ob idque immortales agat eidem gratias. *A.* Credo id facturam. *D.* Ita ſpero quidem. Sic enim à Parentibus ſemper inſtituta eſt in doctrina Chriſtiana. Sed me jam aliò revocant domeſtica negotia. Ergo vale, mi Antoni. *A.* Tu quoque bene vale, ſuaviſſime Daniel. *D.* Nunquid vis? *A.* Ut verbis meis dicas ſalutem plurimam tuis omnibus, præcipue Patri matrique, & ipſi novæ nuptæ, meque illi gratulari fauſtum illud conjugium. *D.* Ego vero id faciam, & quidem libentiſſime.

COLLOQ. V.

Ingenium diſpar ſacræ concionis ergo.

HENRICUS. GERHARDUS.

HOdie te non vidi in concione: Quid illud ſibi vult? *G.* Quid ſibi velit, neſcio; ego tamen interfui. *H.* Narra mihi, quæ mandaſti memoriæ. G. Non eſt tuum à me rationem exigere. *H.* Ego quidem non exigo: verum id rogo, ut memoriæ cauſa conferamus una. *G.* Malim nunc ſolus recordari. Audies me, (ſi voles) quum Præceptor ante prandium nos interrogabit. *H.* Quid mali eſſet, ſi nunc inter nos ea de re conferamus? *G.* Nihil mali eſſet, fateor; ſed nunc mihi non libet. *H.* Tua igitur te libido regit. *G.* Omitte me, cur moleſtus es? *H.* Omitto ſane, ſed audi unum verbum. Non decet puerum eſſe tam moroſum. *G.* Nec puerum decet eſſe tam moleſtum.

COL-

COLLOQ. VI.

Commodantis exactio, utentis incuria.

RICHARDUS. LUCIUS.

QVid feciſti regula mea? *L.* Reliqui in pergula ſuperiore. *R.* Cur eam reliquiſti? *L.* Oblitus ſum. *R.* Non rectè factum, ſed ut ſic fere ſoles, ſi quid tibi fuerit commodatum. *L.* Piget me negligentiæ meæ. *R.* Non ſatis eſt dolere, niſi mores mutare velis. *L.* DEum precabor, ut mihi mutare velit. *R.* Si ſapis: alioqui nemo tibi poſthac commodare volet. *L.* Habeo gratiam, quod me tam amicè monueris. *R.* I nunc repetitum meam regulam: Eſt enim ea mihi opus ad ducendas in charta lineas. *L.* Mox habebis.

COLLOQ. VII.

Riſus, deriſus. Suſpicio miſera.

EMERICUS. BARTHOLDUS.

CUr ſolus rides? *B.* Quid tua? *E.* Quia fortasſe rides me. *B.* Unde tibi orta eſt iſta ſuſpicio? *E.* Quia malus es. *B.* Omnes quidem mali ſumus; at ego te pejor non ſum. Nemo igitur ridet, niſi aliquem irrideat? *E.* Non ſic intelligo; ſed qui ſolus ridet, ut ſæpe audivi, aut ſtultus eſt, aut aliquid mali cogitat. *B.* Iſta ſententia, cujus ſit, neſcio: ſed cujuscunque ſit, non eſt perpetuò vera. Tamen admonitionem tuam in bonam partem accipio, teque moneo viciſſim, ut caveas ſuſpicioſus eſſe.

Nam timidis & ſuſpectis aptiſſima mors eſt.
Ut eſt in morali noſtro carmine. *E.* Memini, boni tamen conſulo admonitionem tuam.

COLLOQ. VIII.

Horat. Percontatorem fugito, nam garrulus idem eſt; Nec retinent patulæ commiſſa fideliter aures. Exemplum in percontatore.

NATHANAEL. MACARIUS.

UNde venis? *M.* Domo. *N.* Quid agitur domi veſtræ? *M.* Nihil tua refert. *N.* Fateor; ſed familiares ſic rogare fere ſolemus, perindè quaſi rogemus: ut valetis? quomodo ſe veſtræ res habent? *M.* De re aliena nimium percontari non decet. *N.* Taceo; ſed tu videris mihi pro ætate nimis ſapere. *M.* Nihil meum dico; Id audivi ſæpe. *N.* Ego quoque non ſemel audivi. *M.* Cur ergo non uteris? *N.* Quia non ſemper in mentem venit. *M.* Immo quia tu es percontator, quæ res non ſine cauſa datur vitio. *N.* Habeo gratiam, quod me adeo amicè moneas: poſthac, adjuvante DEO, cavebo ineptus eſſe. *M.* Ita paulatim ſapies.

COLLOQ. IX.

Obſervantia in Præceptorem.

HULDERICUS. PETRONIUS.

HEus tu! Præceptor adeſt. *B.* Quid tum? *H.* Reſpice ad illum. *P.* Quamobrem? *H.* Ut ei caput aperias, & venientem ſalutes. *P.* Ita decet facere; ſed aliud cogitabam. *H.* Tace.

COLLOQ. X.

Tempeſtas hyberna. Latinitas. Otioſus ſermo.

PONTANUS. MARCUS.

UNde redis? *M.* Foris. *P.* Cur exieras? *M.* Redditum urinam. *P.* Qualis eſt cœli facies? *M.* Nebu-

Nebuloſa. *P.* An regelat? *M.* Sic reſolvitur gelu, ut nives omnino liqueſcant. *P.* Etiamne pluit? *M.* Senſi aliquid ſuperne deſtillare. *P.* Fortaſſe in tranſitu, è ſtillicidio tecti. *M.* Immo à nivibus ſcio; quod ſi non credis, viſe tu ipſe. *P.* Quaſi ego tibi non credam in re tantilla. *M.* Cur igitur dubitare videbaris? *P.* Ut pluribus verbis tecum fabularer. *M.* Quorſum id pertinet? *P.* Ad latinum ſermonem exercendum. *M.* Sed interim ſæpe otioſa verba dicimus, à quibus omnino abſtinendum Chriſtus præcipit. *P.* Tota erras via in præcepti intellectu. *M.* Cur iſtud dicis? *P.* Quia non eſt otioſus ſermo, qui ad aliquam inſtitutionem refertur, præſertim ubi agitur de bonis & honeſtis rebus, qualia ſunt DEI opera in rebus. *M.* Videris mihi recte ſentire; proinde facile tibi aſſentior. *P.* Sed hæc hactenus; inſtat nobis aliud negotium. *M.* Age, deſinamus.

COLLOQ. XI.

Oblivio.

TIBURTIUS. BONIFACIUS.

SCis tu, quota ſit hora? *B.* Non certum ſcio; ſed video inſtare cœnæ tempus. *T.* Me miſerum, oblitus ſum adire matrem, quæ juſſerat. *B.* Curre, curre; opportunè venies, ut cœnes domi. *T.* Recte mones; eo rogatum veniam. *B.* Eccum hypodidaſcalum. *T.* Optime adeſt.

COLLOQ. XII.

Amiſſio & recuperatio. Inventoris eſt reſtituere. Recuperantis remunerari. Perditio modeſte ferenda. DEus laudandus in omnibus & orandus.

ROLANDUS. LAMBERTUS.

QUid ais de ſcalpello, quod emeram tibi nudius tertius, eſtne ſatis bonum? *L.* Immò vero eſt optimum. Sed (me miſerum!) parum abfuit, quin perdiderim. *R.* Eho; quid ais? Quomodo accidit? *L.* Quum redirem foris, exciderat mihi in vico. *R.* Unde exciderat? *L.* E theca mea, quam imprudenter apertam reliqueram. *R.* Quomodo recuperaſti? *L.* Affixeram ſtatim chartulam valvis januæ: poſt prandium quidam puer ſextæ claſſis mihi retulit. *R.* Utinam omnes tam fideles eſſent, qui res amiſſas reperiunt. *L.* Profectò pauci ſunt, qui reſtituant, ſi modo ſit res alicujus pretii. *R.* Et tamen id verbo DEI nominatim præcipitur. *L.* Quidni? eſt enim furti ſpecies, ſi quis rem alienam inventam retineat, modo ſciat, cui reddenda ſit. *R.* At plerique putant, ſe jure poſſidere, quicquid amiſſum invenerint. *L.* Errant illi quidem graviſſimè. *R.* Verum (ut redeamus ad inceptum ſermonem) quid dediſti puero, qui ſcalpellum tuum invenerat? *L.* Dedi ſextantem, & nuces aliquot juglandes: Laudavi præterea, & paucis admonui, idem ſemper eſſe faciendum. *R.* Rectè feciſti: Sic enim libentius reddet aliis, ſi quid repererit. Sed quid ſi perdidiſſes? *L.* Æquo animo tuliſſem, & mihi emiſſem aliud. *R.* Itane æquo tuliſſes animo? *L.* Certè non ſine aliqua moleſtia. *R.* Non igitur æquo animo: Sed nolo te arctius urgere. *L.* Non ſumus Theologi. *R.* Quid ergo? *L.* Grammaticuli. *R.* Et qui-

quidem imperiti. *L.* Tanto diligentius DEum precari debemus, ut per Evangelium ſuum nos liberet ab ignorantiæ tenebris, in quibus & verſati ſumus, & adhuc verſamur. *R.* Id vero faciemus, ſi ſanctis admonitionibus pareamus, quas audivimus quotidiè à Præceptore, & ſæpè à concionatoribus. *L.* Vide quantum profuerit nobis ſcalpelli amiſſio. *R.* Ob eam rem tibi dupliciter gratulor: primum quod tibi rectè emerim: deinde quod amiſſum recuperaveris. *L.* Habeo tibi gratiam, mi Rolande. *R.* Quin Patri noſtro cœleſti ſit laus & gratiarum actio. *L.* Amen.

COLLOQ. XIII.

Pennæ ſcriptoriæ parandæ & judicandæ. Emtio pennarum. Mercatorum mendacia. Scholæ miſſio. Officiorum promptitudo.

MELCHIOR. CASPAR.

MIhi non videris nimis occupatus. *C.* Mediocriter. *M.* Quid ſi mihi exacuas duas aut tres pennas? *C.* Satis ſit tibi, ſi unam acuero in præſentia. Suntne novæ. *M.* Novæ quidem: ſed paratæ usque dum acuantur. Jam enim levigavi, caulem reſcidi, detraxi plumulas. *C.* Oſtende. Profecto ſunt optimæ, & ad ſcribendum aptiſſimæ. *M.* Unde id noſti? *C.* Quia ſunt caule amplo, firmo & nitido. Nam molles, & qui caulem breviorem habent, parum ſunt ad ſcribendi uſum habiles. *M.* Gaudeo me utiliter emiſſe. *C.* Non abs re, ſed quanti? *M.* Pro his tribus dedi quadrantes duos. *C.* Singulas igitur binis emiſti

de-

denariolis. *M.* Res apparet. Eſt vile pretium pro rei bonitate. *C.* De quo emiſti? *M.* De quodam circumforaneo. *C.* Apud hujus oppidi mercatores ſingulæ, & quidem minus bonæ vendentur ſextantibus. *M.* Et tamen audent interdum dicere, pluris ſibi conſtare Lugduni. *C.* Ea fere eſt mercatorum conſuetudo: Nihil enim proficiunt niſi admodum mentiantur, ut ait Cicero. *M.* Sed age, ne te diutius remorer, agamus, quod inſtat. *C.* Cito expediero: aſpice me diligenter, ut diſcas aliquando. *M.* Adſpicio intentis oculis, ſed mihi opus eſſet ſpatio paulo longiore. *C.* Iſtud ergo fiet in cubiculo, ſi quando me velis inviſere. *M.* Quo tempore? *C.* Poſt Scholæ miſſionem; hoc eſt, hora nona matutina, vel quarta pomeridiana. Nunc habes pennas duas, recte (ni fallor) in uſum tuum accommodatas. Hanc tertiam in aliud tempus tibi integram ſervabis. *M.* Accipe tibi, ſi placet. *C.* Quin tibi ſerva, domo afferuntur mihi ſatis multæ. *M.* Ago tibi, quantas poſſum, gratias. Vale. *C.* Incolumem te conſervet DEus. Sed heus! ne parcas unquam labori meo. *M.* Tu quoque & me, & rebus meis viciſſim utere, ſi quid opus fuerit. Iterum vale.

COLLOQ. XIV.

Familiare colloquium. Scholaſtici ornamenta. DEus adjutor ſtudiorum.

PUBLICUS. BONIFACIUS.

UNde veniebas modo? *B.* E. culina. *P.* Quid illuc iveras? *B.* Ut me calefacerem. *P.* Tu, credo,

credo, libentius es in culina, quam in ſchola. Nonne? *B* Nihil mirum; In ſchola non eſt ignis, ſicut in culina. *P.* Abi, ſapis. *B.* Utinam tam ſaperem in divinis rebus, quam in cura corporis! *P.* Fac ſapias. *B.* Quomodo? *P.* Studio, cura, labore, diligentia. *B.* Non parco labori. *P.* Recte facis: ſed eſt tempus exſpectandum, cujus progreſſu fiunt omnia. Interea precandus eſt DEus aſſidue. *B.* Bene mones: utinam ille ſtudia noſtra promoveat in gloriam ſui nominis! *P.* Id faciet, ſi pergamus eum colere diligenter.

COLLOQ. XV.

Commeatio à Schola domum frequens noxia. Præceptoris voluntas optima.

PETRUS. CORNELIUS.

QUid tecum cogitas, Corneli? *C.* Libenter irem domum. *P.* Quid eò? *C.* Ut me in his diebus parumper recrearem cum matre. *P.* Quid obſtat, quo minus eas? *C.* Præceptor non vult permittere. *P.* Melius tibi conſulit, quam ipſe putas. *C.* Quomodo? *P.* Nam interea perderes multum temporis, & quum rediiſſes, tibi doleret. Nonne verum dico? *C.* Profecto ſic eſt. *P.* Mane igitur, ſi ſapis. *C.* Parebo tuo conſilio, quia mihi rectum videtur. *P.* Nollem ſciens malum tibi conſilium dare. Atque utinam quod ſuadeo, ſuccedat tibi proſpere! *C.* Spero ita fore DEO volente.

COL-

Digitized by Google

COLLOQ. XVI.

Mutuatio. DEI providentiæ veneratio. Emtio.

MARTIALIS. BLASIUS.

QVantum habes pecuniæ? *B.* Aſſem cum ſemiſſe. Tu vero? *M.* Non tantum. *B.* Quantum igitur? *M.* Unicum aſſem. *B.* Vis mihi dare mutuo? *M.* Eſt mihi opus. *B.* In quem uſum? *M.* Ad emendam chartam. *B.* Hodie reddam tibi. *M.* Addendum fuit: DEO juvante. *B.* Sic docet Præceptor; Sed non poſſum aſſueſcere. *M.* Fac, aſſueſcas. *B.* Quomodo id fiet? *M.* Si ſæpe cogitas, nos à DEO ſic pendere, ut nihil poſſimus ſine ejus auxilio. *B.* Bonum mihi das conſilium. *M.* Quale mihi dari velim. *B.* Sed (ut ad propoſitum redeamus) dabis mutuo iſtum aſſem? *M.* Miror, te mutuo petere, qui plus habeas, quam ego. *B.* Eſt quidam Scholaſticus hac tranſiens, qui librum venalem oſtendit. *M.* Quid tum? *B.* Cupiebam emere, quia vilius indicat, quam noſter Bibliopola. *M.* Accipe, ſed quæſo, unde tam cito reddes? *B.* A cœna ibo domum, ut à matre petam. *M.* Quid ſi dare nollet? *B.* Nihil cunctabitur, quum librum oſtendero.

COLLOQ. XVII.

Ætatis computatio. Exercitationis domeſticæ fructus. Latinitas quotidiana.

MACARIUS. EUSEBIUS.

QUot annos habes? *E.* Tredecim, ut à matre accepi. Tu vero? *M.* Equidem non tot ha-

habeo. *E.* Quot igitur? *M.* Deeſt unus. *E.* Sunt ergo duodecim. *M.* In promptu eſt ratio. *E.* Sed frater tuus, quotum agit annum? *M.* Quintum. *E.* Quid ais? jam Latinè loquitur. *M.* Quid miraris? ſemper habemus domi Pædagogum, & doctum & diligentem, ſemper nos Latinè loqui docet: nihil Germanicum affert, niſi aliquid declarandi cauſa. Quin etiam patrem non audemus niſi Latinè alloqui. *E.* Nunquam igitur Germanicè loquimini? *M.* Solum cum matre: Idque certa quadam hora, quum illa nos ad ſe vocari jubet. *E.* Quid agitis cum familia? *M.* Cùm familia rarus eſt nobis ſermo, & quidem tantum in tranſitu: & tamen famuli ipſi nos Latine alloquuntur. *E.* Quid ancillæ? *M.* Si quando uſus poſtulat, ut eas alloquamur, utimur ſermone vernaculo, ut ſolemus cum ipſa matre. *E.* O vos qui tam felices, diligenter docemini! *M.* Eſt DEO gratia, cujus dono patrem habemus, qui curat nos tam accurate erudiendos. *E.* Certe ejus rei laus & honor unico cœleſti Patri debetur. *M.* Sed quid agimus? Jam audio recitari Catalogos. *E.* Ergo feſtinemus.

COLLOQ. XIIX.

Morbus. Remedium. Venia eundi. Præmeditatio petitionis.

SERVATUS. LUDOVICUS.

QVid triſtis es Ludovice? *L.* Ægroto. *S.* Quid morbi eſt? *L.* Neſcio. *S.* Sed tamen, eſtn

eſtne gravis morbus? *L.* Non admodum, gratia DEO. *S.* Quidnam tibi dolet? *L.* Caput. *S.* Quid? totumne caput? *L.* Non certe. *S.* Quæ pars igitur? *L.* Neſcio nomen. *S.* Eſtne vertex? *L.* Non eſt. *S.* Quid ergo? Utrum ſynciput, an occiput? *L.* Hæc pars anterior. *S.* Eſt ergo ſynciput? *L.* Quid igitur faciam? *S.* Quieſce bene, mox ſanus eris: ſic enim à matre accepi, nullum eſſe præſentius remedium capitis doloribus, quam quietem. *L.* Atqui varii ſunt morbi capitis. *S.* Et varia fortaſſe remedia. Sed quid eſt facilius, quam id tentare, quod dixi tibi? *L.* Experiri quidem, nil (ut ſpero) nocebit: Sed ubi quieſcam? *S.* Domi veſtræ in lecto. *L.* Mater non ſinet. *S.* Immo, ſi dixeris, te ægrotare. *L.* Atqui me putabit ſimulare. *S.* Fieri poteſt; ſed quid dubitas periculum facere? *L.* Bonum conſilium! *S.* Utere, ſi vis. *L.* Faciam profecto. *S.* Enim vero, ſi ſapis. *L.* Sed unum reſtat. *S.* Quid eſt? *L.* Impetranda eſt à Præceptore venia. *S.* Adi & pete. *L.* Quid ſi nolit dare? *S.* Imo facillime. *L.* Quî ſcis iſtud? *S.* Quia ſatis eſt credulus nobis, niſi qui aliquoties illum fefellerunt. *S.* Ito igitur fidenter. *L.* Nunc eo. *S.* Sed heus, prius meditare, quid ſis dicturus, ne forte loquendo hæreas. *L.* Bene mones? non accedam imparatus.

COLLOQ. XIX.

Ludus certaminis literarii. Judicis cautio.

PAU-

PAULUS. TIMOTHEUS. SALOMON. JUDEX.

OPtate mihi ades, Timothee: quærebam, qui mecum certare vellet: ſed omnes ad luſus certamen currunt. Tu vero quid ais? *T.* Quid ego malim, quam tecum de noſtris ſtudiis pacifice contendere: *P.* Sed quod petis certandi argumentum? An de repetendis Ciceronis Epiſtolis? *T.* Malo de Catone. *P.* Quamobrem? *T.* Quia reſtant mihi aliquot prælectiones de Cicerone. Scis enim me ægrotaſſe fere duas hebdomadas. *P.* Memini. Vis igitur dicamus ſecundum librum moralium diſtichorum? *T.* Eſt longus nimis in hanc horam. *P.* Quid ita? *T.* Quia nobis aliquamdiu ludendum eſt, ut corpus exerceamus ad valetudinem conſervandam. *P.* Dicamus ergo librum tertium, qui eſt breviſſimus. *T.* Sed judicem volo. *P.* Præſto eſt Salomon, qui me ob eam rem ſequitur. *T.* Vis igitur Salomon, audire nos? *S.* Quid dicturi eſtis? *P.* Tertium librum diſtichorum moralium. *S.* Nonne alternis dicetis? *P.* Scilicet ſuum uterque diſtichon. *S.* At pueri (ne erretis) nolo vos audire tanquam judex. *P.* Cur non? *S.* Ne forte meâ ſententiâ alteruter amicorum offendatur. *T.* In quo igitur nobis eris adjutor? *S.* Notabo in chartula diligenter utriusque lapſus, deinde referetis ad Præceptorem. *T.* Quid tum fiet? *S.* Ille utri videbitur, victoriam & præmium adjudicabit. *P.* Eris igitur nobis tantum teſtis. *S.* Sic intelligo. *T.* Optima

ſane videtur mihi ratio. *P.* Mihi quoque valde probatur. *S.* Sed unum reſtat. *T.* Quid eſt? *S.* Vultisne præter lapſus manifeſtos hæſitationes etiam notari? *T.* Sic volunt Præceptoris leges ſuper hac re. *S.* Date mihi librum in manum, ut certius obſervare poſſim. *P.* Tene meum. *T.* Incipiamne? *P.* Æquum eſt, quia tu à me provocatus es. *T.* Audi, quæſo, Salomon; ſed diligenter. *S.* Tu vero cave dicas negligenter.

Tim. Hoc quicunque cupis carnem cognoſcere lector,
Hæc præcepta feret, quæ ſunt gratiſſima vitæ.
Paul. Inſtrue præceptis animum, nec diſcere ceſſes:
Nam ſine doctrina vita eſt quaſi mortis imago.
Tim. Commoda multa feres: ſin autem ſpreveris illud,
Non me ſcriptorem, ſed te neglexeris ipſe.
Paul. Cum recte vives, ne cures verba malorum:
Arbitrii noſtri, &c. Sic pergunt ad finem usque libri tertii.

COLLOQ. XX.

Vindemia. Communicatio uvarum.

PETRUS. MATTHÆUS.

GRatulor tibi reditum, Matthæe: Quando rediiſti rure? *M.* Heri poſt meridiem. *P.* Quid mater? *M.* Quemadmodum illa me ſecum duxerat, ita reduxit. *P.* Nonne venit in equo? *M.* Et quidem tolutario. *P.* Tu vero? *M.* Quid rogas?

rogas? Eram illi à pedibus. *P.* Non tibi fuit moleſtus labor itineris? *M.* Nulla mihi fuit via difficilis: adeo erat jucunda in urbem reditio. Quid quæris? noluiſſem eques venire. *P.* Quantum diſtat hinc villa veſtra? *M.* Quatuor milliaribus, iisque non admodum longis. *P.* Sed jam ſatis de reditu. Nunc aliud agamus. Fuiſtine memor promiſſi tui? Num rediiſti vacuus? *M.* Attuli uvarum quantum potui. *P.* Quantum igitur? *M.* Quaſillum. *P.* Hui quaſillum! Tibi igitur uni? *M.* Immo nobis duobus. *P.* Quid duobus tantillum? *M.* Non poteram ferre amplius, pro viribus corpuſculi mei: quod ſi robuſtus eſſem, aſini onus apportaſſem, mater enim facile permittebat. *P.* Quam vellem affuiſſe! *M.* Ego & mater te plurimum deſideravimus. Sed eſto animo bono: ea reliquit famulum ruri, qui ampliſſima corbe onuſtus veniet: tum ille tibi dabit affatim. *P.* Papæ! nunc optata loqueris, mi Matthæe. *M.* Eamus domum ad nos. Videbis quaſillum noſtrum adhuc (ut ſpero) integrum. *P.* O lepidum caput! Nam & cupiebam ire ſalutatum matrem tuam mihi chariſſimam. *M.* Profecto illi gratiſſimum feceris. *P.* Eamus igitur.

COLLOQ. XXI.

Paupertas divinitus juvatur opera hominum, ſed intercedentibus ſacris precibus.

ANTONIUS. BERNHARDUS.

QUid hic ſolus cogitas? *B.* Meam deploro miſe-

miſeriam. *A.* Quænam te affligit miſeria? *B.* Heu me miſerum! ecce mutavimus claſſes: nec eſt mihi pecunia, unde libros emam. *A.* Annon tibi dat pater? *B.* Dat quidem interdum, ſed parce nimis. *A.* Eſt igitur avarus? *B.* Non ſequitur. *A.* Quid igitur impedit, quo minus tibi pecuniam ſuppeditet? *B.* Paupertas, præterea quum peto, miratur tot nobis opus eſſe libris. *A.* Nihil mirum, præſertim quum ſit pauper: ſed interim eſto bono animo, nec te affliętes, quæſo. Dabo operam, ut te juvet pater meus; Libenter enim largitur pauperibus, præſertim iis, quos novit bonarum literarum ſtudioſos eſſe. *B.* O me felicem! tua operâ ſi me DEus adjuverit. *A.* Juvabit, ſpero: ſed tu interim precare illum diligenter, ut mei patris animum erga te affectum reddat. *B.* Recte mones. Nam (ut ſæpe audivi è ſacris concionibus) ſolus eſt DEus, qui hominum corda gubernat ac dirigit. *A.* Ita res habet. *B.* Vale mi Antoni, qui mihi animum reddidiſti. *A.* Tu quoque Bernarde vale. Sed dic mihi quæſo, quantum nummorum tibi opus eſt? *B.* Si duos haberem decuſſes, abunde mihi eſſet in præſentia. *A.* Tace, cras (ut ſpero) divinum auxilium ſenties.

COLLOQ. XXII.

Frigoris depulſio ad ignem ſeu hypocauſti ſeu culinæ.

PHILIPPUS. WERNERUS.

QUo nunc is? *W.* In hypocauſtum. *P.* Quid eò. *W.* Hoccine rogandum eſt, non frigus ſentis?

ſentis? *P.* Quotusquisque nunc non ſentiat, quum adeo ſit acerbum? Sed ego malim me in culina calefacere. *W.* Atqui Præceptor vetuit. *P.* Non ignoro. Sed rogabo veniam. *W.* Cur non vis hypocauſto calefieri? *P.* Vapores clibani tentant mihi caput, quod alioqui infirmum ſatis habeo: unde fit, ut facile ex capite laborem. *W.* Ego quoque ſic aliquando fui, ſed paulatim aſſuefeci me ad ferenda hypocauſti incommoda. *P.* Et ego (ut ſpero) me aſſuefaciam: verum præſtat id fieri horis pomeridianis; ubi tantus ille æſtus deferbuerit. *W.* Sed nunc tempus non eſt hic philoſophandi diutius. Jam mihi dentes frigore crepitant.

COLLOQ. XXIII.

Hortus & horti arbores ac olera.

SEBASTIANUS. THEOBALDUS.

QUæ ſunt arbores in horto veſtro? *T.* Hortum habemus ſuburbanum, in quo ſunt olera, quibus veſcimur quotidie: præterea ſunt in fundo noſtro horti variis arboribus conſiti. *S.* In horto quæ ſunt olera? *T.* De hoc mater melius reſpondere poſſet. Nam illic ſæpe verſatur, aut ſerendi cauſa, aut ſarriendi, aut aliquid colligendi. *S.* Sed tamen dic mihi aliquot olerum nomina. *T.* Parum prodeſſet nomina tibi recenſere, niſi res ipſas videres. Quin eamus in rem præſentem. *S.* Potes ire, quando libet? *T.* Poſſum quidem, matre permittente. *S.* Fac, amabo, permittat: ſed ea lege, ut me tibi

comitem aſſumas. *T.* Id facillime fiet, tantum hic me expecta: mox rediero. *S.* Quid ſi domi non eſt? *T.* Tamen huc tibi renunciabo. *S.* Bene vertat DEus!

COLLOQ. XXIV.

Beneficentia, beneficiorum, præſertim DEI, agnitio.

PAULUS. CAROLUS.

HOdie pecuniam à Patre accepi: ſi tibi forte eſt opus. *C.* Nihil nunc opus eſt mihi: ſed tamen gratiam habeo maximam, quod tua liberalitate ultro mihi offers beneficium. Quotus enim quisque id faciat. *P.* Credo eſſe pauciſſimos: tu me tamen non ſemel beneficiis provocaſti. *C.* Adeo parva illa fuerunt, ut non ſint commemoratione digna. *P.* Non eſt parvum beneficium, quod ab optima voluntate profectum ſit. *C.* Utinam DEI erga nos beneficia tam expenderemus, quam ſolemus hominum! *P.* Faxit ille, ut in ea cogitatione nos exerceamus & ſæpius & diligentius. *C.* Illud profecto neceſſe eſt, ſi volumus ejus benignitatem ſæpius experiri.

COLLOQ. XXV.

Dictatorum ſcriptio & deſcriptio. Veri ſtudium: Timiditas præſtat audacia.

FABIANUS. BONIFACIUS.

QUid agis? *B.* Scribo. *F.* Quid ſcribis? *B.* Deſcribo dictata Præceptoris. *F.* Quænam? *B.* Heſterna. *F.* Quid? non aderas? *B.* Immo aderam: ſed non poteram Magiſtrum dictantem

Digitized by Google

tem aſſequi. *F.* Quæ res impediebat. *B.* Quod ſatis commode non ſederem. *F.* Veneras ergo ſerius? *B.* Iſtud eſt. *F.* Cedo commentarium tuum. Egomet tibi ſcribam. *B.* Quid faciam lucri? *F.* Ego citius, quam tu deſcripſero. Poſt ludemus unà, ut conceſſit Præceptor. Da (inquam) libellum tuum. *B.* Libenter id quidem facerem; ſed non audeo. *F.* Quid times? *B.* Edictum Præceptoris. *F.* Quod mihi edictum narras? *B.* Neſcis, eum vetuiſſe, ne quis ſine permiſſu ejus alteri ſcribat? *F.* Id ego probe memini: ſed unde hoc ſciet? *B.* Rogas? Quum emendandi cauſa ſcripturæ rationem exiget, tum captus ero: Novit enim manum meam. Præterea neque fallendum eſt, neque mentiendum. *F.* Verbo DEI utrumque vetamur. *B.* Quid ergo reſponderem Præceptori, quum ille negaret me iſta ſcripſiſſe. *F.* Non eo res evadet, ſpero. *B.* Nolo tua ſpe tantum ſubire periculum. *F.* Vah! nimium timidus es; nunquam rem facies. *B.* At tu forſitan audacior. *F.* Tu igitur ſcribe, quantum voles: ego ad ludendum me confero. *B.* Abi quæſo: Jam unam paginam deſcripſiſſem, niſi me interpellaſſes. *F.* At interim aliquid proficimus, dum latinè fabulamur.

COLLOQ. XXVI.

Pecuniæ uſus. Creditio & redditio.

BERTHOLDUS. PROTASIUS.

VEnitne pater ad mercatum hodiernum? *P.* Hodie mane convenit me, quum adhuc è

lecto ſurgerem. *B*. Nihil ab eo petiiſti? *P*. Imo pecuniam. *B*. Et numeravit? *P*. In præſentia. *B*. Quantum obſecro? *P*. Viginti aſſes. *B*. Papæ! Aſſes viginti? Quî fit, ut audeat tibi tantum pecuniæ committere? *P*. Quia novit me diſpenſatorem frugi. Siquidem ſemper illi reddo rationem usque ad teruncium. *B*. Sed ægre fortaſſe impetraſti. *P*. Immo facillime, atque adeo cum gratia. *B*. O mitem Parentem! *P* Certe mitiſſimum. *B*. Sed (ut ad rem) quid facies iſta pecuniâ? *P*. Emam libros & alia mihi neceſſaria. *B*. Potesne mihi aliquid mutuo dare? *P*. Poſſum, ſi modo eges. *B*. Niſi egerem, non peterem. *P*. Quantum vis a me accipere? *B*. Quinque aſſes. *P*. Accipe. *B*. O vere amicum animum. *P*. Amicus verus non eſt, niſi qui amicum juvat in tempore: ſi tamen habet, unde juvet. *B*. Amicus certus (ut eſt in proverbio) in re incerta cernitur. *P*. Quando reddes mutuum? *B*. Ubi primum pater in hanc urbem venerit. *P*. Quando venturum ſperas? *B*. In mercatu proximo; nempe ad octavum diem Septembris.

COLLOQ. XXVII.

Matutina opera ſurgentis, induentis, lavantis, tentantis, Obſervatoris æquitas.

PÆDAGOGUS. PUER.

HOdie mane quotâ horâ expergefactus es? *Pu*. Ante lucem, quotâ horâ, neſcio. *Pæd*. Quis te expergefecit? *Pu*. Venit excitator hebdomadarius cum laternâ ſuâ, pulſavit acriter oſti-

oſtium cubiculi, quidam aperuit; excitator accendit noſtram lucernam, clara voce exclamavit: Experrecti ſunt omnes. *Pæd.* Narra mihi ordine, quid egeris illo tempore, usque ad finitum jentaculum. Vos pueri auribus atque animis diligenter attendite, ut diſcatis hunc veſtrum condiſcipulum imitari. *Pu.* Experrectus ſurrexi è lecto: Indui tunicam cum thorace; ſedi in ſcabello: accepi fœmoralia & tibialia: utraque indui: calceos calceavi: fœmoralia ligulis aſtrinxi thoraci: tibialia periſcelide ligavi ſupra crura: cingulo me præcinxi: caput diligenter pexui: aptavi capiti pileolum, togam indui: deinde egreſſus cubiculum, deſcendi infra: urinam in area reddidi ad parietem: accepi aquam frigidam è ſitula, manus & faciem lavi: os & dentes collui: deterſi mantili manus & faciem. Interea ſignum ad precationem datur minore tintinnabulo: in aulam privatam convenitur, precamur unà: accipimus ordine jentaculum à famulo culinario: Jentamus in triclinio ſedentes & quieti, ſine murmure, ſine ſtrepitu. Quos audivi ineptè garrientes, aut verba loquentes otioſa, aut etiam laſcivientes vidi, amicè admonui: qui non paruerunt admonitioni, detuli ad Obſervatorem, ut eos notaret. *Pæd.* Nemone vobis præerat, dum jentaretis? *Pu.* Immo hypodidaſcalus. *Pæd.* Quid agebat interea? *Pu.* Ille per mediam aulam ambulabat, tenens librum in manibus, & identidem monens obſervatorem, ut

notaret inepte garrientes. *Pæd.* Nullumne igitur verbum tunc licet emittere? *Pu.* Immo licet. Verum ii demum notari ſolent, qui diu & multis verbis ineptè & ſine ullo fructu confabulantur. Cæterum licet omnibus jucundos inter ſe tractare ſermones de bonis & honeſtis rebus: dum tamen id modeſte fiat citra clamorem & contentionem. *Pæd.* Hactenus ſatisfeciſti mihi. Cætera narrabis à prandio, niſi aliquod negotium intervenerit. Eamus nunc in aulam ad prandium, ne Magiſtro in mora ſimus. *Pu.* Audivi modo ſignum dari. *Pæd.* Opportune datum.

COLLOQ. XXVIII.

Scholaſticæ operæ poſt jentaculum in ſchola.

PÆDAGOGUS. PUER.

UBI finiviſti narrationem ante prandium? *Pu.* Quum vellem finem imponere de jentaculo, tu me interpellaſti, Præceptor. *Pæd.* Perge igitur narrare ordine reliqua. *Pu.* Dum jentandi finem facimus, datur publicum ſignum poſterius: Sumit quisque libros: Imus in aulam communem: Recitantur de more Catalogi ſingularum claſſium. Qui adſunt, ad nomen reſpondent: Ego quoque reſpondeo: Abſentes notantur in catalogis ab ipſis Nomenclatoribus: Finita catalogorum recitatione, Ludimagiſter pulpitum aſcendit, ut precetur; Jubet nos attentos eſſe. Tumque publice precatur. Ubi precatus eſt: Recipite (inquit) vos in ſuum quis-

Digitized by Google

quiſque auditorium: Conveniunt omnes. Ego item venio cum meis condiſcipulis. Sedeo in loco meo: Præceptor ingreditur: inquirit de abſentibus: Deinde ſedet in cathedra ſua & jubet pronunciari auctoris ſcriptum: Pronunciamus terni clara voce, ut ſolemus quotidie: Tum jubet, ut reddamus interpretationem; Aliquot ex rudioribus legunt ſinguli: nos alii reddimus terni, idque memoriter, præter eum, qui verba ipſa auctoris præit nobis ordine. Tandem Præceptor exigit Germanicam verborum ſignificationem: doctiores, quibus nominatim præcipit, reſpondent: Ego quoque juſſus ab eo reſpondeo. Laudat illos, qui benè reſponderint: De quorum numero ego (quod ſine jactantia dictum ſit) unus eram. Poſtea jubet ſingulas orationis partes ordine tractari ad rationem Grammaticam; Poſtremo palam præſcribit, quid ſit à prandio reddendum: audita hora octava, precationem imperat, qua finita monet, ut officium ſedulo faciamus; Tandem nos miſſos facit: Eo ſpectante eximus ordine, & ſine ſtrepitu lætique diſcedimus. Satisne tibi feci, Præceptor? *Pæd.* Immo cumulatiſſime. *Pu.* Placetne tibi, ut ſub cœnæ tempus idem faciam, de reliquis hujus diei actionibus? *Pæd.* Nihil opus erit; Nam de iis, quæ horis pomeridianis aguntur, alias te audivi ſatis.

COLLOQ. XXIX.

Beneficiorum divinorum commemoratio. Pietas puerilis.

PÆDA-

PÆDAGOGUS PUER.

ADes Carole? *Pu.* Adſum Præceptor. *Pæd.* Quid agunt duo condiſcipuli tui? *Pu.* Adhuc docentur à Subdoctore. *Pæd.* Tu vero, jamne pronunciaſti contextum Prælectionis in craſtinum manè? *Pu.* Pronunciavi. *Pæd.* Satisne rectè? *Pu.* Satis, gratia DEO. *Pæd.* Quis te audivit? *Pu.* Ludimagiſter. *Pæd.* Benè habet: ſed eſt, quod monere te velim. *Pu.* Ego iſtud audire percupio. *Pæd.* Sæpenumero cogitandum tibi eſt, quantum debeas bonorum omnium largitori DEO, qui & ingenium & memoriam tam felicem tibi dederit. *Pu.* Quid illi non debeam, qui mihi dedit omnia? *Pæd.* Dic aliquot ejus beneficia præcipua, quemadmodum docui te aliquando. *Pu.* Dedit mihi cœleſtis ille Pater corpus, animam, vitam, mentem bonam, parentes bonos, locupletes, nobiles, bene erga me affectos, & qui non modo ſuppeditant mihi copiosè omnia ad hanc vitam neceſſaria, ſed etiam (quod eſt longè maximum) me bonis literis, bonisque moribus tam diligenter inſtituendum curant, ut nihil ſit præterea requirendum. *Pæd.* Verè omnia dixiſti: Sed unum prætermiſiſti, quod eſt ſingulare DEI beneficium. Scin tu, quid ſit? *Pu.* Sine me pauliſper cogitare. *Pæd.* Otiosè cogita. *Pu.* Nunc ego reminiſcor, ſed pro magnitudine rei, neſcio, quibus verbis id poſſim exprimere. *Pæd.* Dic tamen, quo poteris modo. *Pu.* Cogito etiam atque etiam. *Pæd.* Dic tandem. *Pu.* Innumerabilia

bilia ſunt DEI optimi maximi erga me beneficia, in corpore, in animo, in externis rebus; ſed nullum majus nec dici nec cogitari poteſt, quam quod Filium ſuum unicum gratis mihi dederit, qui me miſerrimum peccatorem, & ſub Satanæ tyrannide captivum, ac morti æternæ deſtinatum, redemit; idque morte ſua omnium crudeliſſima & maxime ignominioſa. *Pæd.* Satis aptè dixiſti, & totidem ferè verbis, quot aliàs te docueram. Sed nunquid DEus tibi uni hoc tantum beneficium præſtitit? *Pu.* Minimè vero. *Pæd.* Quibus præterea? *Pu.* Omnibus, quotquot Evangelio fideliter ac verè crediderint. *Pæd.* Age, profer locum ex Johannis Evangelio in eam ſententiam. *Pu.* Sic DEus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit DEus Filium ſuum in mundum, ut condemnet mundum, ſed ut ſervetur mundus per eum. Qui credit in eum, non condemnatur: qui vero non credit, jam condemnatus eſt, quia non credit in nomen unigeniti Filii DEI. Hæc eſt autem &c. *Pæd.* Hactenus ſatis, ſed cujus ſunt verba iſta? *Pu.* Ipſius Chriſti, de ſe ipſo loquentis. *Pæd.* Quem alloquitur? *Pu.* Nicodemum, qui ad eum noctu venerat. *Pæd.* Faxit ipſe Chriſtus unicus Salvator noſter, ut magis ac magis in ipſius cognitione proficias. *Pu.* Faciet ſpero. *Pæd.* Perge igitur, ut cœpiſti, alacriter. Quod bene vertat DEus in gloriam ſui nominis. *Pu.* Ita precor. *Pæd.* Eamus cœnatum.

Digitized by Google

COLLOQ. XXX.

Faceta obſervatoris confabulatio cum puero vere candido, & ſimplicis ingenii.

OBSERVATOR. PUER.

TU nunquam ſtudes: quando eris doctus? *P.* Id fiet progreſſu temporis, DEO juvante. *O.* Rectè dicis: Sed interim laborandum tibi eſt. *P.* Atqui ego non ſum arator. *O.* Etiam rides? Quaſi laborare idem ſit, quod arare. *P.* Scio non idem eſſe. *O.* Cur ergo ſic reſpondiſti? Nonne iſtud ridere eſt? *P.* Et ridere non eſt malum, quum ſit naturale omnibus hominibus. *O.* Pergin tu nugas dicere? *P.* Quod dixi, verum eſt, & verum dicere non eſt nugari. Cur me immerito reprehendis? *O.* Jure te arguo. *P.* Quo jure? *O.* Quia non ignoras, ridere pro irridere uſitatum eſſe, & tamen ſic accepiſti, quaſi de riſu ſim loquutus. *P.* Si defendo cauſam meam, quid mali facio? *O.* Pergis igitur eſſe pertinax? Profecto ſerio notaberis. *P.* Ne, quæſo, mihi iraſcaris, mi Martine. *O.* Non iraſcor, ſed officium meum facio. *P.* Sed audi quæſo. *O.* Quid audiam tuas nugas? *P.* Audi, inquam, nihil mentiar. *O.* Dic breviter, eſt mihi alibi negotium. *P.* Inprimis quum tu me admonuiſti, non eram otioſus. *O.* Quid ergo? ſi nihil faciebas, nonne otioſus eras? *P.* Non eram: pace tua dixerim. *O.* Quî poteſt iſtud fieri? *P.* Dicam tibi, etſi tute melius hoc intelligis, quam ego. Nihil faciebam, ut apparebat: ſed tamen cogitabam aliquid boni. *O.* Declara

iſtud

iſtud mihi. *P.* Cum tu facis verſus: ſæpe meditaris diu, quaſi ſis otioſus: quamvis nunquam ſis minus otioſus. *O.* Pro iſta ætate nimis acutus es: etiamſi tibi (ut ais) otioſus non eras, tamen qui te viderent, poſſent aliter judicare. *P.* At ſolus eram. *O.* Verum, ſed poterant aliqui intervenire. Denique non fateris culpam? *P.* Si qua fuit culpa, in eo fuit, quod primo aſpectu videbar tibi eſſe in otio, quum revera non eſſem. *O.* In eo nihil requiro: Sed de irriſione quid reſpondes? *P.* Certe nihil dixi irridendi animo. *O.* Quo igitur? *P.* Jocabar, crede mihi. *O.* Quorſum? *P.* Ut paucis verbis fabulando aliquid ex te addiſcerem. *O.* Non is ſum, a quo multa doceri queas. *P.* Immo tecum multum boni ſæpe didici. *O.* Quid tandem vis concludere? *P.* Ut mihi ignoſcas, quando (ut vides) malo animo nihil peccavi, quod equidem ſciam. *O.* Age, ignoſco, quia videris mihi candidus & apertus, neque adhuc vidi te mendacem eſſe. *P.* Ago tibi gratias, Martine ſuaviſſime.

COLLOQ. XXXI.

Duo ſtudiorum ſocii ægerrime divelluntur. Exemplum veræ amicitiæ.

DAVID. JONATHAN.

ERgone abis in patriam? *J.* Cogor abire; nempe accerſitus à patre. *D.* Nunquamne es reverſurus? *J.* Non ſpero. *D.* Quando profecturus es? *J.* Craſtino die, ut opinor. *D.* Siccinne igitur me relinquis? *J.* Ita neceſſe eſt. *D.* O me

Digitized by Google

O me miſerum! Ubi & quando amicum talem reperiam? talem ſtudiorum meorum ſocium? *J.* Ne doleas, eſto animo bono, meliorem dabit tibi DEus. *D.* Ille quidem poteſt, ſcio; at ego vix ſperare poſſum. *J.* Noli, obſecro, te affligere tantopere. Nec enim hac ſeparatione corporum interitura eſt amicitia noſtra; quin potius accreſcet magis, & abſentes corpore, præſentes animis erimus. Quid epiſtolæ, quas ultro citroque dabimus? quantam vim ſperas habituras eſſe? Quid, quod mutuo illo deſiderio amor ipſe noſter fiet jucundior. *D.* Veriſimilia ſunt, quæ dicis omnia: ſed interim non lenitur dolor meus. *J.* Ah! reprime lacrymas. *D.* Non queo præ dolore. *J.* Siccine agis? An putas, me minore dolore tangi? Sed quid agis? Divinæ voluntati parendum eſt. Nunc ipſe te collige, obſecro: ac potius ad hilariter cœnandum te para. Pluribus à cœna colloquemur. *D.* Quam triſte divortium!

COLLOQ. XXXII.

Amicitia improborum fugienda. Pravum conſortium.

MELCHIOR. VALERIUS.

NOn meminiſti, Præceptorem jam ſæpe monere nos de fugiendis pravis ſodalibus? *V.* Ego vero probe memini. *M.* Tamen alicubi ſatis negligenter uteris ejus monitis. *V.* In quo videor tibi ea negligere? *M.* Dicam tibi, ſi modo attente audias. *V.* Dic obſecro: audiam attentiſſimè. *M.* Nunquam vis cavere tibi ab illo impo-

impoſtore? *V*. Cur caveam? *M*. Ne illius contagione depraveris. Noſti enim eum eſſe peſſimum. *V*. Atqui non ſponte ſequor, ad me accurrit undique. *M*. Nimirum quia novit, te habere, quod des, & dare libenter ac ſæpè. *V*. Quid igitur mihi faciendum ſuades? *M*. Dic ſemel & ſeriò, quaſi animo irato: Quid vis amice? Cur me ubique ſequeris? Omnes clamitant, te eſſe peſſimum; & ideo ſodales tui eſſe nolunt. Proinde omitte me poſthac quæſo, ne tua cauſa virgis palam cædar. *V*. Quid ſi vellet aliquid contra reſpondere? *M*. Abrumpe illi ſermonem, teque recipe celeriter. *V*. Ago tibi gratias, quod me tam fideliter monueris.

COLLOQ. XXXIII.

Modus in ſtudiis proficiendi. Norma ſeu regula ſtudiorum.

GOTHARDUS. HILARIUS.

VIsne permanere in iſta ignorantia? *H*. Avertat DEus! *G*. Quid igitur facies? *H*. Da mihi ſuper hac re conſilium, quæſo. *G*. Inprimis DEum ſæpiſſime, & ex animo precare: deinde ſemper attentus eſto, hoc eſt, diligenter audito, quicquid doceatur, ſive Præceptor loquatur, ſive aliquid reddant condiſcipuli tui: poſtremo charitatem diligenter cole. *H*. Quibus modis? *G*. Neminem neque lædito, neque offendito; nemini invideto, neminem odio habeto: ſed contra omnes dilige tanquam fratres, ac bene omnibus, quoad poteris, facito.

Digitized by Google

H. Quid illa mihi conferent ad ſtudiorum profectum? *G.* Plurimum. *H.* Quomodo? *G.* Sic enim DEus tibi illuminabit ingenium, memoriam ac cæteras animi dotes augebit: denique ſtudia ita promovebit, ut majores in ea re progreſſus indies facias. *H.* Conſilium mihi ſane das optimum. Utinam in DEI ipſius gloriam perpetuo valeam, tibique aliquando referam gratiam. *G.* Non opto, ut mihi aliquid gratiæ eo more referas, niſi ut DEum ſæpenumero laudes, ſtudiaque honeſta ſemper proſequaris, atque ita ad divinarum literarum cognitionem tandem pervenias.

COLLOQ. XXXIV.

Interrogatiuncula de morbo. DEus eſt medicorum Princeps. Percontatio curioſa.

CALIXTUS. MARCELLUS.

QUid egiſti per hos quindecim dies? *M.* Miniſtravi matri, quæ graviter ægrotabat. *C.* Ain tu? *M.* Sic eſt profecto. *C.* Quo laborabat morbo? *M.* Febre tertiana. *C.* An convaluit? *M.* Paulatim convaleſcit, gratia DEO. *C.* Quis eam ſanavit? *M.* Medicorum Summus. *C.* Quis ille? *M.* Ipſe DEUS. *C.* De hoc nihil dubito. Sed cujus operâ? *M.* Domini Deſiderii. *C.* Is habetur maximi nominis in medicinæ profeſſione. *M.* Id quotidie probant egregiæ curationes ejus. *C.* Quibus remediis utebatur in curanda matre tua? *M.* Medicamentis. *C.* Satis iſtud intelligo, etiam te ta-

te tacente. Sed dic plane, quæ fuerunt iſta medicamenta? *M.* Sine me aliquantiſper recordari. *C.* Sino: Dic tandem, quæ reminiſceris. *M.* Duo tantum nomina mihi occurrunt, clyſteres & potiones. *C.* Quid iſta conferunt? *M.* Eho inepte, ita rogas, quaſi ego medicinæ operam dederim. Itaque ſi cupis amplius ſcire, quære tute ipſe ab iis potius, qui iſta profitentur, hoc eſt, à medicis & pharmacopolis. *C.* Ne mihi ſuccenſeas, oro. *M.* Cur tu es adeo curioſus? *C.* Ut addiſcam ſemper aliquid. *M.* At vide interim, ne voceris percunctator. *C.* Audi tamen item pauca. *M.* Loquere. *C.* Quamdiu ægrotavit mater? *M.* Fere duas hebdomades. *C.* Interea ubi erat pater? *M.* Profectus erat Francofurtum ad mercatum. *C.* Sed tu qua hora rediiſti in Gymnaſium? *M.* Hodie manè. *C.* Dediſtine excuſationem Præceptori? *M.* Dedi. *C.* Quid tibi reſpondit? *M.* Factum bene, inquit. Tu vero ubi fueras? *C.* Heſterno die rus iveram cum patruo. *M.* Age, videamus, quid ſimus reddituri hora ſecunda. Nam ego quodammodo nunc novus ſum diſcipulus.

COLLOQ. XXXV.

Mejo, mejis, mejere, minxi, mictum.

GRATIANUS. THOMAS.

Viſne venire mictum? *T.* Satis otioſe minxi. *G.* Eamus unà, quæſo, ut parum fabulemur.

mur. *T.* Tace inepte, niſi vis accuſari, non eſt ſabulandi tempus. Nonne debuiſti mejere, antequam jentaretur. *G.* Debui, ſed oblitus ſum. *T.* Ito igitur ſolus, cum bona venia Præceptoris: nec ſis poſthac tam obliviosſus. *G.* Parebo tibi & meminero.

COLLOQ. XXXVI.

Monitor familiaris, moderatio luſionis, vel exercitationis corporis.

MAXIMILIANUS. GABRIEL.

QUid cogitas, Gabriel? Cave tibi, obſecro. *G.* Quid mihi cavebo? *M.* Ne in morbum incidas. *G.* Qua ex cauſa? *M.* Ex nimia luſus intemperantia. *G.* Unde apparet periculum? *M.* Quia totus æſtuas, totus ſudore mades. *G.* Recte & in tempore admones, profecto non ſentiebam. *M.* Deſiſte, ſi me audis. *G.* Audio vero libenter ac tibi morem gero. Quis enim reſpuat tam fidele conſilium? *M.* Deterge faciem ſudariolo, & indue te celeriter, ne ſubitum frigus contrahas. *G.* Habeo tibi gratiam: Nam vere morbis ſum obnoxius. *M.* Quid eſt cauſæ? *G.* Infirmitas meæ valetudinis. Vides enim quam imbecillo ſim corpore. *M.* Tanto magis debes cavere. *G.* Iſtud probe novi: & parens uterque me monet ſæpiſſime: Sed quid agam? Natura proni ſumus in noſtram perniciem. *M.* O mi Gabriel, non eſt voluntati ſerviendum, ſed temperantiâ valetudini conſulendum. *G.* Eſt in promptu Carmen Catonis in eam ſententiam. *M.* Teneo: ſed

de his alias. Jam ſatis indutus es, non eſt, quod hic morere diutius. *G.* Vale, Maximiliane, monitor amiciſſime. *M.* Vin tu, ut domum te ducam? *G.* Nihil opus eſt deductione: ego belle me habeo, DEI beneficio. *M.* Mi Gabriel, cura, ut valeas.

COLLOQ. XXXVII.

Victoriæ utendæ ratio. Curioſitas Puero Chriſtiano, quæ potiſſimum curanda. DEUS, ut velimus & poſſimus, facit.

ROBERTUS. BERTRAMUS.

VAlde miror, cur hodie mane non affueris? *B.* Quid miraris tantopere? Nihil eſt novi, multi abſunt quotidie; imo fere horis ſingulis. *R.* Atqui victoria tibi erat in manibus. *B.* Quid ego curo? ejusmodi victoria (ut bene dicebat quidam) nihil aliud eſt, quam brevis gloria. *R.* Sed interim modeſti adoleſcentes hinc ad ſtudia magis incenduntur, nec tamen inani gloria tumeſcunt; ſed ad honorem DEI referunt, quicquid inde laudis acceſſerit. *B.* Iſtud certe raro contingit: Plures enim ſunt, qui victoriis abutantur ad privatam gloriam, quam qui divini honoris rationem habeant. *R.* Veriſimile dicis. *B.* Immo veriſſimum. *R.* Sed velim mihi dicas, cur abfueris? *B.* Scripſi ad patrem literas. *R.* Cujus nomine? *B.* Matris. *R.* Dictavitne tibi ipſa? *B.* Quid ſcripſiſſem, niſi dictaſſet? *R.* Quid continebant li-

 teræ?

Digitized by Google

teræ? *B.* Longum eſſet tibi narrare. *R.* Saltem dic earum argumentum. *B.* Varium & multiplex. Et quid tua, quæſo, ſcire refert? *R.* Nihil. *B.* Cur ergo tam avide quæris? *R.* Animi cauſa: ut fere curioſi ſumus novi aliquid audiendi. *B.* Nihil aliud quam garris, omitte me. *R.* Auſculta paucis. *B.* Age auſculto: loquere, quid velis. *R.* Scire cupio, ubi ſit pater tuus? *B.* Quaſi vero neſcias. *R.* Unde ſcirem? *B.* Quum tibi ſit notiſſimus, & quum ſimus vicini, non putaſſem te ignorare. *R.* Dic tandem, quæſo. *B.* Eſt Norimbergæ. *R.* Quando eſt profectus? *B.* Abhinc dies quatuor. *R.* Quid illic agit? *B.* Negotiatur. *R.* Quando rediturus eſt? *B.* Finito mercatu. *R.* Ad quod tempus finietur? *B.* Roga mercatores: non eſt meum curare talia. *R.* Quid igitur cures: *B.* Ut DEum timeam, parentibus obediam, bonas artes cum pietate diſcam. *R.* Næ tu magnifice loqueris. Sed dic mihi ſerio, poteſne res tantas efficere? *B.* Egone iſtud mihi aſſumam? Quin potius fateor, ne incipere quidem penes me eſſe. *R.* Quid ergo de te fiet? *B.* DEus ipſe Spiritu ſuo in me operabitur. *R.* Optime ſentis: nihil ex te præter ea requirebam. *B.* Eſt DEO gratia, cui acceptum refero, quicquid ineſt in me boni. *R.* Iſtud recte; & laudo equidem, ne tibi videar nihil aliud quam garrire. *B.* Quum iſtud dicerem, jocabar ſane. *R.* Ego ſic accepi. Sed tu (ut cœpiſti) perge diſcere & ſapere. *B.* Qui mihi dedit fidem, idem (ut ſpero) perſeverantiam

tiam dabit. *R.* Bene ſperas, & ego idem ſpero tecum. Ita pergamus vivere inter nos conjunctiſſime, ut adhuc fecimus. *B.* Per me quidem non ſtabit, niſi ope divina prorſus ero deſtitutus. *R.* Avertat ipſe DEUS: ſed audin tu horologium? *B.* Ut in ipſo tempore ſermonem finivimus.

COLLOQ. XXXVIII.

Emtio chartæ. Chartarum genera & uſus.

REINOLDUS. MATTHIAS.

UNde venis? *M.* Foris. *R.* Quid prodieras? *M.* Ut emerem chartam. *R.* Emiſtine? *M.* Emi. *R.* Quantum emiſti? *M.* Scapum. *R.* Quanti? *M.* 'Quinque quadrantibus. *R.* Cujus formæ? *M.* Minoris. *R.* Oſtende. *M.* Vide, num bona ſit? *R.* Bona eſt profecto. In quem uſum emiſti? *M.* Inepte quæris. Quis eſt chartarum uſus, niſi ad ſcribendum? *R.* Imo alius. *M.* Quis? cedo. *R.* Ad merces involvendas. *M.* Intelligebam de charta ſcholaſtica; non de emporetica. Non enim ſum mercator. *R.* Utimur etiam chartâ ad ſiccandam recentem ſcripturam. *M.* Satis ſcio; ſed charta illa eſt bibula. *R.* Et tamen charta eſt. *M.* Eſto. *R.* Ergo multiplex eſt chartæ uſus etiam in ſchola. *M.* Cogor fateri. *R.* Etiam dicam tibi alium uſum, & quidem in ſchola frequentiſſimum. *M.* Quem? *R.* Non auſim dicere ſine præfatione honoris. *M.* Quid opus

eſt inter nos honorem præfari? Non enim verba fœtent. *R.* Dicam igitur, quando ita vis. *M.* Dic libere. *R.* Ad tegendas nates in latrina. *M.* Illuc non feruntur chartæ puræ, ſed etiam ſcriptæ, eæque inutiles. *R.* Quid tum? Chartæ ſunt tamen. *M.* At ego de charta pura & nova loquebar. *R.* Sed interim victus es. *M.* Sic ita ſane? non me pœnitet diſputatiunculæ hujus noſtræ, ſed jam à luſu diſceditur. Et nos ergo loco cedamus.

COLLOQ. XXXIX.

Atramenti ſcriptorii bonitas & vitia.

HUGO. BLASIUS.

HAbesne bonum atramentum? *B.* Cur iſtud rogas? *H.* Ut mihi des aliquantulum. *B.* Eho! non habes? *H.* Immo, ſed eo non poſſum ſcribere. *B.* Quid obſtat? *H.* Quia nimis ſpiſſum eſt. *B.* Neſcis diluere? *H.* Non eſt mihi aqua. *B.* Dilue vino. *H.* Multo minus. *B.* Quid ſi aceto dilueres? *H.* Inde charta perflueret. *B.* Qui ſcis? *H.* Audivi de quodam Magiſtro, qui me docebat ſcribere. *B.* Ego vero aliud audivi magis mirum. *H.* Narra mihi, ſodes. *B.* Quid mihi dabis? *H.* Bonam aciculam. *B.* Audi igitur, quod ego didici ex quodam Pædagogo meo. Atramentum, quod aceto lique-

liquefactum eſt, ægre eluitur. *H.* Fieri poteſt, ſed interim da mihi parum in uſum præſentem. *B.* Tene atramentarium tuum bene apertum, ego infundam tibi. *H.* Ecce! infunde, vah, quam liquidum eſt! *B.* Fortaſſis, quia non eſt gummi ſatis. *H.* Sed quam decolor? *B.* Utere, ſi vis, quale quale eſt. Non enim habeo melius *H.* Quid igitur faciam? *B.* Hem inepte, non potes pennâ tua benè miſcere. *H.* Miſcui ſatis: quid poſſem præterea? *B.* Infunde rurſus in cornu meum. *H.* Admove propius, eſtne ſatis? *B.* Comprime penna linteolum. *H.* Ita compreſſi, ut ferè ſit aridum. Quid erit tandem? *B.* Atramentum bonum, aut certè mediocre. *H.* Bona eſt mediocritatis regula, ut ex Præceptore didicimus. Sed nunquid ex duabus malis rebus confici poteſt aliquid boni? *B.* Ubi miſcuero, & tibi rurſus infudero, videbis experimentum. *H.* Ardeo iſtud videndi deſiderio. *B.* Porrige nunc atramentarium tuum. *H.* Ecce infunde. *B.* Ohe, jam ſatis eſt: Quæ iſthæc eſt profuſio? plus mihi dediſti, quam tibi retinueris. Commiſce iterum etiam atque etiam. *H.* Nunquam poſſet coquus ſua jura & condimenta melius confundere. *B.* Jam tandem facito periculum. *H.*

Dicta mihi aliquam ſententiam, ut interim diſcam aliquid. *B.* Experientia (ut vulgo dicitur) eſt rerum magiſtra: Habes. *H.* Dicta citius. *B.* Videlicet jam pridem tenebas. *H.* Quis illud ignoraret, quod eſt adeo vulgare? *B.* Nunc videamus. *H.* Res apparebit melius, ubi ſcriptura bene deſiccata fuerit. *B.* Quid vis expectare? Jam ſicca eſt plus ſatis. *H.* Oh! vide, quam nigra ſit. *B.* Dixine vere? *H.* Aliquando periculum feceras, ſcilicet. *B.* Conſtabit igitur, experientiam eſſe rerum magiſtram. *H.* Quin etiam hinc experimur, ex rerum commiſſione bor[illegible]m fieri temperamentum. *B.* Jam incipis [illegible]s philoſophari: Itaque diſcedo. *H.* O longum ſermonem de nihilo! *B.* Nihil me pœnitet, alioqui inerti otio torpebamus.

COL-

COLLOQVIORUM SCHOLASTICORUM

LIBER IV.

Cui inſunt Magiſtri Colloquia cum Diſcipulis: proinde hæc a pueris ita legenda erunt, ut ex duobus legentibus unus Diſcipulum, alter Præceptorem agat.

COLLOQ. I.

Salutatio matutina: Matutinæ operæ ac ſtudia. Pueri monendi iterum iterumque.

DISCIPULUS. PRÆCEPTOR.

SAlve Præceptor. *P.* Salus per JEſum Chriſtum. An ſurrexerunt omnes? *D.* Omnes præter parvulos. *P.* Nunquis ægrotat? *D.* Nemo, gratia DEO. *P.* Quid agitur? *D.* Alii ſe induunt: Alii jam ſtudent gnaviter. *P.* Adeſtne vobis Hypodidaſcalus? *D.* Jamdudum. *P.* Ite igitur precatum, vosque diligenter commendate Domino DEO, per JEſum Chriſtum deprecatorem noſtrum: deinde pergite in ſtudiis veſtris, usque ad horam jentaculi. *D.* Ita ſolemus, Præceptor. *P.* Credo equidem; ſed quia fere ſomniculoſi eſtis ac negligentes, idcirco ego vos admoneo ſæpius.

pius. *D.* Gratiam habemus, Præceptor humaniſſime. Nunquid vis præterea? *P.* Dic famulo, ut mihi togam afferat.

COLLOQ. II.

Sacræ concionis ignoratio. Animadverſio in ignorantem. Excuſatio. Deprecatio.

PRÆCEPTOR. DISCIPULUS.

ADfuiſtine hodie concioni ſacræ? *D.* Adfui. *P.* Qui ſunt teſtes? *D.* Multi ex condiſcipulis, qui me viderunt, teſtari poſſunt. *P.* Sed producendi erunt aliquot. *D.* Producam, quum jubebis. *P.* Quis habuit concionem? *D.* Dominus Petrus. *P.* Quotâ horâ incepit? *D.* Septimâ. *P.* Unde ſumſit thema? *D.* Ex epiſtola Pauli ad Romanos. *P.* Quo capite? *D.* Octavo. *P.* Adhuc bene reſpondiſti: nunc videamus, quid ſequatur. Ecquid memoriæ mandaſti? *D.* Nihil, quod referre poſſim. *P.* Nihilne? Cogita pauliſper, & vide, ne turberis, quin eſto animo bono. *D.* Certe, Præceptor, nihil poſſum reminiſci. *P.* Ne verbum quidem? *D.* Nihil prorſus. *P.* Hem verbero. Quid igitur profeciſti? *D.* Neſcio, niſi quia fortaſſe interim à malis abſtinui. *P.* Illud quidem eſt aliquid; ſi modo fieri potuit, ut à malo omnino abſtinueris. *D.* Abſtinui, quoad potui. *P.* Fac ita eſſe: non tamen ſatisfeciſti DEO, quum ſcriptum ſit: Declina à malo, & fac bonum. Sed dic mihi, (quæſo) qua gratia illuc iveras potiſſimum? *D.* Ut aliquid addiſcerem. *P.* Cur id non feciſti? *D.* Non potui.

P. Cur

P. Cur non potuiſti nebulo? Imo noluiſti, aut certe non curaſti. *D.* Cogor fateri. *P.* Quæ res te cogit? *D.* Conſcientia mea, quæ me accuſat apud DEum. *P.* Rectè dicis: utinam ex animo! *D.* Equidem ex animo dico. *P.* Fieri poteſt, ſed age, quid fuit cauſæ, quamobrem nihil memoriæ mandaveris? *D.* Negligentia mea, non enim diligenter audiebam. *P.* Quid igitur faciebas? *D.* Identidem dormiebam. *P.* Ita ſoles: ſed quid agebas reliquo tempore? *D.* Cogitabam mille ineptias, ut ſolent pueri. *P.* An tu adeo puer es, ut non debeas attentus eſſe ad verbum DEI audiendum? *D.* Si attentus eſſem, poſſem aliquid proficere. *P.* Quid igitur meruiſti? *D.* Verbera. *P.* Meruiſti profectò, idque largiſſime. *D.* Ingenue confiteor. *P.* Verbotenus opinor. *D.* Imo certe ex animo, *P.* Fortaſſe, ſed interim para te ad plagas accipiendas. *D.* Ah Præceptor, ignoſce obſecro! peccavi, fateor; ſed nulla ex malitia. *P.* Atqui tam ſupina iſta negligentia proxime ad malitiam accedit. *D.* Non equidem inficior, ſed tuam imploro clementiam per Chriſtum JEſum. *P.* Quid igitur facies, ſi tibi ignovero? *D.* Faciam poſthac officium meum, ut ſpero. *P.* Addendum erat: DEO juvante; ſed id parum curas. *D.* Immo Præceptor, adjuvante DEO præſtabo poſthac officium. *P.* Age, condono culpam tuis lacrymis, tibique ea lege ignoſco, ut promiſſi memineris. *D.* Gratias ago, Præceptor humaniſſime. *P.* Eris apud me in maxima

xima gratia, ſi promiſſa ſervaveris. *D.* Faxit DEus Optimus Maximus, ut poſſim. *P.* Faxit precor.

COLLOQ. III.

Vacuæ claſſi præceptore providet Rector.

MARTINUS. FAMULUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, nemo eſt, qui doceat in ſexta claſſe. *P.* Quid hoc rei eſt? ubi eſt Magiſter Philippus? *M.* Morbo detinetur in lecto. *Pr.* Quî ſcis? *M.* Nunciavit quidam ex diſcipulis ejus domeſticis. *P.* Dic Hypodidaſcalo meo. *M.* Non eſt in muſæolo ſuo. *P.* Quî ſcis? *M.* Nam ego ter aut quater pulſavi oſtiolum. *P.* Dic primæ claſſis doctori, ut mittat è ſuis aliquem. *M.* Quid ſi nolit mittere. *P.* Abi inepte: an putas, eum eſſe tam impudentem, ut recuſet? Abi, propera.

COLLOQ. IV.

Evocatur docens in auditorio.

ANDREAS. PRÆCEPTOR. DISCIPULI.

PRæceptor. *P.* Hem quid eſt? *A.* Sunt quidam, qui te conventum volunt. *P.* Ubi ſunt? *A.* Te expectant in vico. *P.* Nunc adibo. *A.* Atqui urgent. *P.* Præcurre tu, & eos intromitte in aream, ego te ſequar: Vos interim expectate cum ſilentio, mox ego adero, ut vos ad cœnam dimittam. *D.* O quam bonum verbum!

COL-

Digitized by Google

COLLOQ. V.

Attentio ad verba Præceptoris neceſſaria eſt, ne ſingulis opus ſit ſciſcitari.

JUSTUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, quid reddemus cras mane? *P.* Hodie mane palam dixi, ante ſcholæ miſſionem. *J.* At ego non aderam, Præceptor. *P.* Roga igitur condiſcipulos. Nam ſi vellent ſinguli me interrogare de rebus à me palam dictis, quæſo, quando finis eſſet? Itaque fac ſis poſthac prudentior. *J.* Curabo pro viribus. *P.* Sed tu, ubi eras? *J.* Prodieram. *P.* Quid prodieras? *J.* Ut curarem negotium aliquod, de quo pater ad me ſcripſerat. *P.* A quo petiiſti veniam? *J.* Ab Hypodidaſcalo. *P.* Cur non à me potius. *J.* Quia eras occupatus. *P.* Quid agebam? *J.* Alloquebaris in area quosdam viros honoratos, qui te conventum venerant. *P.* Abi, nunc recordor.

COLLOQ. VI.

Obſervatorum deſignatio pia ſit, publica, gravis, ſevera; officium fidele, amicum, forte, Chriſtianum.

PRÆCEPTOR. FAMULUS. OBSERVATORES.

HEus Martine! *Fam.* Hem, præſto ſum, here. *P.* Accerſe mihi huc quinque publicos obſervatores, quos heſterno die in hunc menſem elegi. Noſtin? *Fam.* Optime. Nam egomet aderam. *Pr.* Sunt, opinor, in ſuo quisque auditorio, feſtina. *Fam.* Quamprimum rediero. *Obſ.* Aſſumus omnes, Præceptor: quid tibi placet

placet imperare? *Pr.* Satis erat jubere, nec enim ſum Imperator, nec Magiſtratus: ego vos huc accerſi juſſi, ut vos officii veſtri commonefacerem. Vos igitur attentis auribus atque animis audite. Non ignoratis, quanto cum amore Domini heſterno die palam in aula noſtra communi vos elegerim: Auſpicati ſumus a ſacris precibus: ſequuta eſt admonitio noſtra atque exhortatio ad omnem cœtum ſcholaſticum de timore Domini, deque moribus, qui deceant ſtudioſos in ſchola verſantes quotidie: deinde non ſine optimorum adoleſcentium teſtimonio vos elegi quinque, quos ad hoc munus idoneos exiſtimavi: Poſtremo ventum eſt ad ſecundam cum gratiarum actione precationem, ne igitur putetis ludum fuiſſe aut jocum actionem illam, in qua nomen Domini tam ſtudioſe fuerit advocatum. Ac licet apud imperitos aut arrogantes hoc munus & vile & abjectum videatur: vos tamen credite cum honorificum, tum ſanctum eſſe veſtrum illud miniſterium. Quod ſi aliter exiſtimabitis, fieri non poteſt, ut munere veſtro recte fungamini. Itaque ego vos hortor, quantum poſſum, & per JEſum Chriſtum obteſtor, ut cum DEI timore atque reverentia diligentiam præſtetis in omnibus, quæ intelligitis ad officium veſtrum pertinere. A vobis igitur abſit omnis favor, odium, gratia, ſtudium vindicandi, & ſimilia; quæ transverſos agunt homines, & ſincerum corrumpunt judicium. Ne timeatis impro-

improborum minas, qui puſilli animi adoleſcentes ab officio ſolent abſterrere. Quam enim habent in vos poteſtatem? Potius eum timete, qui veſter eſt Dominus, qui vitæ ac necis poteſtatem habet: illius (inquam) tanti Principis timor vobis ob oculos ſemper obverſetur. Incurretis (ſcio) in aliquot improborum ac diſſolutorum odium, ſed pluris ſit vobis unius Patris veſtri cœleſtis amor & charitas, quam omnes omnium hominum inimicitiæ. Eſtote ſemper memores verbi illius, quo Servator noſter & ſummus Præceptor ſuos diſcipulos ad conſtantiam hortabatur: ſi vos (inquit) odit mundus, ſcitote, quod me quoque prius odio habuerit. Vos igitur propter ipſum Chriſtum omnes floccifacite nebulonum minas, offenſiones, inimicitias; dummodo gloriæ DEI posſitis inſervire fideliter. Hæc ſunt, de quibus nunc pro temporis brevitate vos admonendos eſſe exiſtimavi, præter illa, quæ vos in aula heſterno die audiviſtis. *Pr. Obſ.* Maximas tibi gratias agimus, Præceptor humaniſſime, & Chriſtum precamur, ut ſua tibi dona ſemper adaugeat. A te vero vehementer petimus, ut (ſi tibi moleſtum non eſt) præſcriptam des nobis hortationem tuam: quo illam inter nos, quandoque relegentes, memoriæ tenacius infigamus. *P.* Id ego faciam primo quoque tempore: quandoquidem rem ſane honeſtiſſimam poſtulatis. *Pr. Obſ.* Optamus etiam à te (ſi placet) commentariolum ſcriptum habere de præcipuis officii noſtri

 capiti-

capitibus, ut ſimus certiores, quid potiſſimum ſit nobis hac in re obſervandum. *P.* In ipſo tempore de hac admones: & ſic ego jampridem in animo habebam, ſed me quotidie aliud ex alio impedivit. Dabo igitur ejusmodi commentariolum, quod videlicet contineat, quicquid ad obſervatorum publicorum officia pertinebit. Id autem deſcribetis ex ipſo archetypo meo: Quod ideo ſervare volo, ut cæteris quoque tradere poſſim futuris obſervatoribus. Nunc redite in ſuum quisque auditorium. *Obſ.* Rectà imus, Præceptor.

COLLOQ. VII.

Ad nuptias exorantes veniam monentur.

ERNESTUS. PRÆCEPTOR.

LIcetne Præceptor, ut ego & patruelis eamus domum? *P.* Quid eò? *E.* Ad nuptias conſobrinæ. *P.* Quando eſt nuptura? *E.* Craſtino die. *P.* Cur tam cito vultis ire? *E.* Ut mutemus veſtimenta. *P.* Per me licet, eatis, hac tamen lege, ut cras huc redeatis cubitum. *E.* Quid ſi volet patruus, ut exſpectemus negotia. *P.* Non detinebit vos, ſatis ſcio: dummodo dicatis ei, qua lege dimiſerim. *E.* Verum fatebimur. P. Abite, & ab omni cavete intemperantia, faciteque, ut luceat lux veſtra coram hominibus, unde glorificetur noſter ille cœleſtis Pater. *E.* Ita quidem ſperamus fore, ipſo nos in omnibus adjuvante.

COL-

COLLOQ. IIX.

Exiturus ad panem comparandum.

PROTASIUS. PRÆCEPTOR.

LIcetne exire, Præceptor? *Pr.* Quæ tibi eſt exeundi cauſa? *Prot.* Ut quæram in foro aliquem ex noſtratibus. *Pr.* Quid iſtud opus eſt? *Prot.* Mandare illi volo, ut meos admoneat de pane mihi afferendo, aut mittendo. *Pr.* Ubi panis deficit, omnia ſunt illis venalia. *Prot.* Iſtud vulgatum eſt apud nos proverbium. *Pr.* Imo ubique pervulgatum: adeo panis mortalium vitæ eſt neceſſarius. Sed ad rem. Tu nunc prodire vis? *Prot.* Si tibi placet, Præceptor, ne mei negotii occaſionem amittam. *Pr.* Abi, & feſtina ante prandium redire. *Prot.* Dabo equidem operam.

COLLOQ. IX.

Venia iturorum domum, & rediturorum cum teſtimonio.

BURCHARDUS. PRÆCEPTOR.

LIcetne mihi exire unà cum fratre? Pr. Quid cauſæ eſt. *Burch.* Ut mater emat nobis calceos: deinde, ut tonſorem adeamus. Pr. Quid eò? *B.* Refectum capillos. Pr. Quid nunc opus eſt? *B.* Ut cras (ſi Dominus permiſerit) inviſamus patruum. Pr. Ite & mature redite ad ſtudium. Sed heus! pueri, afferte mihi à matre teſtimonium in craſtinum diem aut teſtem adducite. *B.* DEO juvante, id curabo diligenter. Nunquid vis Præceptor? *Pr.* Ut meis verbis matrem officioſe ſalutes.

COLLOQ. X.

Veniæ recuſatio.

ALBERTUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor! licetne nobis ire ad tonſorem? *P.* Quid eò? *A.* Ut capillum tondeamus. *P.* Libenter quotidie exiretis ſexies: Quin expectetis in craſtinum diem, ut eatis unà cum cæteris. *A.* Atqui propter forum turba erit in tonſtrina. *P.* Quid tum? Satis habebitis otii ad expectandum, recipite vos ad ſtudium. *A.* Ut libet, Præceptor.

COLLOQ. XI.

Accerſitus à patre.

BARTHOLOMÆUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, accerſor à patre. *P.* Ubi is eſt? *B.* In diverſorio. *P.* Quando venit? *B.* Advenit modo. *P.* Quis tibi tam citò nunciavit? *B.* Miſit ad me famulum. *P.* Ubi eſt? *B.* Præ foribus me expectat. *P.* Cur illum non intromiſiſti? *B.* Noluit intrare. *P.* Quid ita? *B.* Quia (ut ait) feſtinatione urgetur. *P.* Voca illum, ut paucis conveniam, deinde abi, ſed cura, ut quamprimum huc adſis. *B.* Eo vocatum.

COLLOQ. XII.

Abſentia injuſſu Magiſtri. Merenda.

PRÆCEPTOR. REMIGIUS.

UBi eſt Martinus? *R.* Ivit ad forum. *P.* Quid eò? *R.* Emtum, ut dixit, cingulum. *P.* Injuſſu meo exire non debuit, ſed hoc nihil ad te. Quis dabit nobis merendam? *R.* Dixit, ſe

hor

horâ ſecunda reverſurum, ut det nobis. *P.* Quid ſi fallat? *R.* Id non eſt moris ejus. *P.* Niſi ad horam affuerit, admonebo uxorem de veſtra merenda. Habet enim clavem alteram cellæ penuariæ.

COLLOQ. XIII.

Veniæ negligens accuſatur. Deprecanti parcitur, ob confeſſionem & ſtudium liberale.

PRÆCEPTOR. THEODORUS.

DEmiror, unde nunc venias? *T.* Domo redeo, Præceptor. *P.* Cur iveras domum? *T.* Petitum merendam. *P.* Quamobrem non attuleras? *T.* Mater erat occupata. *P.* Quid tum? Debuiſti exire injuſſu meo? *T.* Non debui, fateor. *P.* Quid igitur meruiſti? *T.* Plagas: ſed ignoſce mihi, quæſo, Præceptor. *P.* Cur non petiiſti exeundi poteſtatem? *T.* Quia non audebam te interpellare. *P.* Quid agebam? *T.* Tenebas libellum quendam & legebas aliquid. *P.* Fieri poteſt, ſed vos tamen ſæpe me interpellatis ob rem leviorem. Nunc igitur para te ad vapulandum. *T.* Parce mihi, obſecro, Præceptor. *Pr.* Sine, ut prius cogitem aliquantiſper. Age, parco, tum quia ingenue confiteris, tum quod ſatis ſtudioſus mihi videris. *T.* Gratias ago maximas, Præceptor humaniſſime.

COLLOQ. XIV.

Chartæ petitio: in codicem relatio: bonus uſus.

GUILHELMUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, non reſtat mihi charta ad ſcribendum, visne dare codicem? *Pr.* Quem in

 uſum?

uſum? *G.* Partim ad colloquia, partim ad exemplaria. *Pr.* Retuliſti in codicem tuum? *G.* Retuli. *Pr.* Oſtende. *G.* Ecce tibi, Præceptor. *Pr.* Quid iſtud? retuliſti octodecim? vis ergo de majore? *G.* Si tibi placet. *Pr.* Pete à famulo, ac ne dubitet, oſtende illi tuum codicem, ut idem in ſuum referat. *G.* Audio. *Pr.* Audi item: cave, abutaris charta, ne tibi Pater graviter ſuccenſeat. *G.* Faxit DEus, ut bene utar.

COLLOQ. XV.

Empturus cultellos admonetur, ut ſibi imponi caveat. DEUS cultores ſuos juvat.

HIERONYMUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, licetne prodire? *Pr.* Quamobrem? *H.* Ut emam cultellos menſarios. *Pr.* Ubi ſunt, quos habebas? *H.* Reliqui domi. *Pr.* Quid ita? *H.* Quia jam obtuſi erant & inutiles. *Pr.* Habesne pecuniam ad emendos alios? *H.* Mater dedit mihi. *Pr.* Quis erit adjutor ad emendum? *H.* Gerhardus. *Pr.* Ite ſane, & cavete, ne vobis imponatur. *H.* Cavebimus, DEO juvante. *Pr.* Omnes quidem juvat: ſed eos potiſſimum, qui ad ejus honorem omnia referunt.

COLLOQ. XVI.

Venia prodeambulantium. Confabulatio pia & honeſta.

VITUS. PRÆCEPTOR.
FERDINANDUS.

PRæceptor, licetne pauca? *Pr.* Loquere. *V.* Nos duo proponebamus, ſi tibi ita videretur,

Digitized by Google

tur, ire, dum cæteri ludunt, foras ambulatum. *Pr.* Quò vultis exire? *V.* In proxima ſuburbana. *Pr.* Quid autem agetis ambulantes? *F.* Tractabimus colloquium aliquod. *Pr.* Sed de bonis & honeſtis rebus. *F.* Hæc temporis ſerenitas, & tam pulchra terræ facies præbebunt nobis honeſtum aliquod argumentum. *Pr.* Nunquam deeſt DEum laudandi materia, duntaxat veris ejus cultoribus. *V.* Nunquam profecto. Sed ut ad propoſitum revertamur; permittis nobis, Præceptor, ex urbe prodire? *Pr.* Niſi mihi perſpecta eſſet veſtra perpetua fidelitas, & verus amor literarum, nunquam permitterem? præſertim cum pravi adoleſcentes me ſæpe in hoc genere fefellerint. Vos igitur prodite, deinde mature ad cœnam revertimini.

COLLOQ. XVII.

Venia ad ſartorem eundi.

JONATHAN. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, licetne prodire? P. Quò prodire cupis? *J.* Ad ſartorem. P. Quid eò? *J.* Petitum femoralia. P. Jamnè facta ſunt? *J.* Sunt, opinor. P. Recte (opinor) dicis: quia res incerta eſt. *J.* Atqui promiſerat mihi in hunc diem. P. Quid ſi fallat? *J.* Nihil mirum fuerit. P. Nunc quoque vere loquutus es. Nam raro ad promiſſum tempus fidem præſtant artifices. *J.* Viſo tamen Præceptor, ſi mihi permittis. P. Nihil impedio. *J.* Nunquid vis Præceptor?

 P. Imo,

Digitized by Google

P. Imo, ut properes, ut interſis prælectioni. *J*. Bene mones, abeo.

COLLOQ. XIIX.

Veniæ recuſatio.

CAJUS. PRÆCEPTOR.

LIcetne prodire? *Pr*. Quò? *C*. Domum. *Pr*. Hem! tam ſæpe itare domum. *C*. Mater juſſerat, ut ego & frater ſe adiremus hodie. *P*. Cujus rei gratia? *C*. Ut ancilla veſtimenta nobis excuteret. *P*. Quidni iſtud? ſuntné vobis pediculi? *C*. Et multi quidem. *P*. Cur uxorem meam non admonuiſtis? *C*. Non auſi ſumus. *P*. Quaſi vero illa ſit usque adeo difficilis, ancillam habet ea hujus potiſſimum gratia, ut veſtram omnium curet mundiciem: nec vos ignoratis illud. Sed gaudetis matris inviſendæ occaſionem vobis dari. Manete igitur, cras curabo, ut vobis excutiantur veſtes. *C*. Sed mater nos objurgabit. *P*. Egomet eam placabo, quieſcite.

COLLOQ. XIX.

Venia eundi domum. Mendacii cautio. Dies craſtinus.

TILEMANNUS. PRÆCEPTOR. PUERI.

PRæceptor, licetne cras ire domum? *Pr*. Quid eò? *T*. Petitum panem. *Pr*. Non tibi reſtat? *T*. Reſtat quidem, ſed parum admodum. *Pr*. Quid frater? eſtne tecum iturus? *T*. Juſſit pater. *Pr*. Quando conveniſti illum? *T*. Die Jovis, quum veniſſet in urbem. *Pr*. Ubi illum vidiſti?

diſti? *T.* Apud forum. *Pr.* Non mentiris? *T.* Non mentior. *Pr.* Unde probabis? *T.* Sunt ex condiſcipulis, qui aderant. *Pr.* Quî tandem? *T.* Adſunt Blaſius & Joachimus. *Pr.* Eſtne verum, pueri? *Pu.* Omnino verum. *Pr.* Qui ſcitis? *Pu.* Vidimus ejus patrem & audivimus ipſa verba. *Pr.* Si ita eſt, permitto, ut eas domum cum fratre. *T.* Vale, Præceptor. *Pr.* Vos ſervet Dominus DEus. *T.* Idem tibi precamur ex animo. *Pr.* Sed heus! quando huc aderitis? *T.* Craſtino die veſperi, DEO juvante. *Pr.* Cura ut promiſſi memineris. *T.* Curabo. *Pr.* Scilicet, ut ſoles. *T.* Imo melius ſpero. Nunquid vis? *Pr.* Ut verbis meis ſalutem dicas parentibus. *T.* Faciam libenter. *Pu.* Iterum vale, Præceptor. *Pr.* Vos quoque valete, & lento gradu ambulate, propter æſtum ſolis. *T.* Ita facere ſolemus.

COLLOQ. XX.

Abſentiæ cauſa datur cum Teſtimonio.

PRÆCEPTOR. WOLFGANGUS.

QUid ſibi vult, quod abfueris hâc totâ hebdomade? *W.* Oportuit me manere domi. *P.* Quamobrem? *W.* Ut matri adeſſem, quæ ægrotabat. *P.* Quod illi officium præſtabas? *W.* Sæpius ei legebam. *P.* Quid legebas? *W.* Aliquid ex ſacris literis. *P.* Sanctum illud & laudabile miniſterium! Utinam ſic omnes ſtuderent verbo DEI! Sed quid? nihil agebas præterea? *W.* Quoties opus erat, illi miniſtrabam cum ancilla. *P.* Hæccine vera ſunt omnia? *W.* Habeo teſtimonium. *P.* Profer iſtud. *W.* Ecce. *P.* Quia

Digitized by Google

ſcripſit? *W.* Famulus noſter, matris nomine. *P.* Agnoſco ejus manum, quia ſæpe ab illo mihi attuliſti. *W.* Licetne igitur redire in ſedem meam? *P.* Quidni liceat, quum mihi ſatisfeceris. *W.* Gratias ago, Præceptor.

COLLOQ. XXI.

Venia in foro emturo.

LUCAS. HYPODIDASCALUS.

PRæceptor, licet mihi prodire? *H.* Quæ tibi prodeundi cauſa? *L.* Eſt mihi eundum ad forum. *H.* Quid eò? *L.* Ut mihi emam corium. *H.* In quem uſum? *L.* Ad calceorum ſoleas. *H.* Quis te adjuvabit in emtione? *L.* Quidam oppidanus, cui hoc mandavit pater meus. *H.* Debueras adire me cum cæteris, qui ad forum prodierunt. *L.* Occupatus eram. *H.* Qua in re? *L.* In ſcribendis ad patrem literis. *H.* Quando eas dabis? *L.* Hodie, ſi quem in foro noſtratum offendero. *H.* Abi, & memineris ad horam ſolitam adeſſe. *L.* Meminero.

COLLOQ. XXII.

Reverſus pace Præceptoris.

ANASTASIUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, tuo permiſſu horâ primâ prodieram, nunc redeo. *P.* Curaſti negotium tuum? *A.* Curavi, gratia DEO. *P.* Factum bene! Quota eſt hora? *A.* Inſtat ſecunda. *P.* Voca mihi famulum, deinde ito ad merendam cum cæteris.

COL-

Digitized by Google

COLLOQ. XXIII.

Mutuatio pecuniæ.

HUGO. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, visne mihi mutuo dare aliquantum pecuniæ? *P.* Quid opus eſt tibi pecunia? *H.* Ut Ezechiæ ſatisfaciam. *P.* Quantum debes illi? *H.* Aſſem cum ſemiſſe. *P.* Quo nomine? *H.* Quia ſcripſit mihi aliquot Colloquia. *P.* Oſtende. *H.* Vide, ſi placet. *P.* Adi Hypodidaſcalum, dic, ut det, quantum petis. *H.* Gratias ago, Præceptor. *P.* Non eſt quod agas; ſed refer in codicem tuum. *H.* Quin jam retuli. *P.* Factum bene! oſtende Hypodidaſcalo.

COLLOQ. XXIV.

Venia ad tutorem.

BLASIUS. PRÆCEPTOR.

LIcetne mihi, Præceptor, adire tutorem? *P.* Quæ te cauſa movet? *B.* Juſſerat ille, ut ſe hodie convenirem, ſi licet per otium. *P.* Quando juſſerat? *B.* Nudius tertius. *P.* Ubi illum vidiſti? *B.* In area, quæ eſt è regione templi. *P.* At vide, ne mentiaris. *B.* A me abſit mendacium: Si vis, dabo teſtes ex condiſcipulis, qui mecum aderant. *P.* Qui ſunt illi? *B.* Daniel & Bonifacius; visne, ut eos accerſam? *P.* Mane, ego illos conveniam: ſed dic, quid eget tutor opera tua? *B.* Ad aliquid ſcribendum. *P.* Qua igitur hora vis illum adire? *B.* Nona, ſi tibi placet. *P.* Quando huc redibis? *B.* Cum primum me dimiſerit. *P.* Nunc abi, atque illi ex me dic ſalutem plurimam. *B.* Faciam libenter.

COL-

COLLOQ. XXV.

Invitatio ad prandium.

STANISLAUS. MAGISTER.

PRæceptor, pater, te invitat ad prandium, ſi tibi placet. *M.* Eſtne ſolus? *S.* Solus (opinor) præter domeſticos. *M.* Excuſa me illi: jam enim aliunde invitatus eram, age tamen illi meis verbis gratiam. *S.* Nunquid vis aliud? *M.* Nihil, niſi ut mature ad ſcholam redeas. *S.* Mature, juvante DEO.

COLLOQ. XXVI.

Venia ad ſartorem & tonſorem.

CASPAR. PRÆCEPTOR.

LIcetne prodire Præceptor? *P.* Quò? *C.* Primum ad ſartorem; deinde ad tonſorem. *P.* Cur ad ſartorem? *C.* Ut curem tibialia reficienda. *P.* Suntne lacerata? *C.* Adeo lacerata, ut vix induere poſſim. *P.* Cur ad tonſorem? *C.* Ut iſti oſtendam ulcus, quod mihi in his diebus ſubortum eſt in femore. *P.* Detege, ut videam. *C.* Vide, quando ita placet. *P.* Quum aperueris tonſori, roga illum, ut emplaſtrum ulceri aptum adhibeat. *C.* Faciam, quod ſuades. *P.* Sed nunquis eſt, qui tecum prodire velit? *C.* Immo Johannes Fontanus. *P.* Quid habet negotii? *C.* Tonſorem quoque vult adire. *P.* Ite igitur unà & redite. *C.* Nunquid vis præterea. *P.* Ut maturetis reditum, ne merenda veſtra mulctemini.

COL-

COLLOQ. XXVII.

Venia ad mercatum ſolennem.

PROCHORUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, licetne nobis prodire? *Præ.* Eſtisne multi, qui prodire vultis? *Pro.* Ferme omnes. *Præ.* Quid hoc ſibi vult? *Pro.* Eſt hodie mercatus, inde fit, ut fere ſibi quisque velit aliquid emere. *Præ.* Nunc ego ſum occupatior, quam ut ſingulorum prodeundi cauſam poſſim cognoſcere; adite igitur ſubdoctorem, qui cognoſcat, & ſi vacat, vos deducat ipſe. *Pro.* Gratias agimus, Præceptor humaniſſime.

COLLOQ. XXVIII.

Accerſendus ad Scholam per literas.

PRÆCEPTOR. THEOPHILUS.

HOdie igitur Petrum conveniſti? *T.* Hodie. *P.* Ubi? *T.* In templo. *P.* Quota horâ? *T.* Octava matutina. *P.* Nunquid rogaſti, quando ſit repetiturus Scholam? *T.* Rogavi. *P.* Quid ille? *T.* Neſcio, inquit. *P.* Debuiſti illum ad reditum exhortari. *T.* Id ego feci, & multis quidem verbis. *P.* Bene feciſti: ſed quid ille reſpondit? *T.* Se adhuc à patre detineri ad fructus colligendos. *P.* Quid ſi ad ipſum patrem ſcribas de ſtatu noſtro Scholaſtico? fortaſſe enim movebitur, ut filium citius remittat. *T.* Si tibi ita videtur, faciam, idque diligenter. *P.* Fac igitur primo quoque tempore. Sed audi, ſcribe pleniſſime, deinde literas tuas mihi oſtende, priusquam des perferendas. *T.* Sedulo faciam, Præceptor.

COL-

Digitized by Google

COLLOQ. XXIX.

Venia ad diverſa.

PETRUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, licetne mihi exire? *Pr.* Quò tibi exeundum eſt? *Pet.* Ad tonſorem. *Pr.* Non eſt tibi aliud negotium? *Pet.* A tonſore volo ire emtum ligulas, illinc me ad ſutorem conferre. *Pr.* Cur ad ſutorem? *Pet.* Ut alteri ex calceis meis annectat corrigam. *Pr.* Iſta omnia quando confeceris? *Pet.* Intra horæ ſpatium, ut ſpero. *Pr.* Erunt multi fortaſſe in tonſtrina expectantes. *Pet.* Fieri poteſt: Sed ſi videro, diutius mihi morandum illic eſſe, expectabo in diem Sabbathi. *Pr.* Eſtne alius, qui prodire velit? *Pet.* Pontanus ait, ſe velle chartam emere. *Pr.* Scisne illi opus eſſe? *Pet.* Scio. *Pr.* Ite igitur unà, curate diligenter ſuum uterque negotium, nec ſitis ceſſatores. *Pet.* DEO juvante cavebimus.

COLLOQ. XXX.

Venia benigna non fallentibus. Sartor menſurus tunicam.

EBERHARDUS. PRÆCEPTOR.

LIcetne exire? *P.* Quò? *E.* Ad ſartorem. *P.* Quid eò? *E.* Ut mihi tunicam faciendam metiatur. *P.* Quæ tibi eſt materia? *E.* Niger pannus. *P.* Ubi eſt? *E.* In arca mea. *P.* Sartor autem, quis tibi eſt? *E.* Petrus Sylvius. *P.* Eſtne peritus artifex? *E.* Sic audivi, & eſt notus patri meo, qui juſſit, ut illum adirem. *P.* Ubi habitat? *E.* In vicino Xenodochio. *P.* Non nimis

Digitized by Google

nimis longe eſt: Cave diſcurras. *E.* Cavebo. *P.* Facile à me veniam impetrant, qui nunquam fallunt. *E.* Avertat DEus, ut nunquam fallam.

COLLOQ. XXXI.

Boni diſcipuli eſt percontari: Boni Præceptoris non gravatim reſpondere. Ad perfectum opus eſt tempore & exercitatione.

LUDOVICUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, licetne pauca? *P.* Loquere, quid velis. *L.* Quum interdum dicis alicui noſtrum: Ubi eſt follis? vel: Cedo follem, non apparet, utrum follis ſit maſculini, an fœminini generis. *P.* Non apparet, fateor, quid tum? *L.* Unde igitur ſcire poſſumus? *P.* Cur me de hoc nunquam rogaſtis? *L.* Tam multa te ſæpe interrogamus, ut vereamur, ne tibi moleſti ſimus. *P.* Quaſi vero iſtud unquam præ me feram: contra eo magis amo vos, quo me rogatis ſæpius. Quid enim magis cupio, quam ut aliquando vos videam & optimos & doctiſſimos? *L.* Habemus gratiam, Præceptor humaniſſime. *P.* Eam gratiam ego & vos DEO noſtro debemus, qui ſolus ſua bonitate utriusque bonam dedit voluntatem. *L.* Faxit ille, ut hoc beneficio recte ſemper utamur in ipſius gloriam. Sed dic quæſo, follis cujus generis? *P.* Maſculini. *L.* At ego potius fœminini dixiſſem. *P.* Quamobrem? *L.* Quia tale eſt pellis, quod eſt in rudimentis pro exemplo poſitum. *P.* Non abs re id conjiciebas. Nam in IS finita, quale

eſt

Digitized by Google

eſt pellis, magna ex parte fœminina ſunt. *L.* Non igitur omnia? *P.* Vix ulla eſt tam generalis regula, quæ exceptione careat: Follis igitur ſub exceptionem cadit, quia maſculinum eſt. Sic aliquot alia, ut ignis, piſcis, axis, &c. *L.* Sed unde illa dignoſcam? *P.* Facile cognoſces, quum perveneris ad Grammaticæ regulas. Sed interim Latine loquentes attente obſerva, teque ad eorum imitationem diligenter accommoda. *L.* At iſtud longum eſt, Præceptor. *P.* Non fiunt, niſi longo tempore, præclara ædificia. *L.* Experientia nos iſtud docet: at pater meus vellet me annuo ſpatio doctum videre. *P.* Ego vero iſtud unius diei ſpatio videre vellem. Sed quid agas? Omnibus in rebus expectandum tempus eſt. Pater tuus, qui non didicit literas, neſcit, quid doctrina valeat, neque quantis laboribus illa comparetur. *L.* Verum dicis; ſed quid illi reſpondere poſſum, cum apud me conqueritur de temporis longi ſpatio in diſcendis literis? *P.* Docebo te inter cœnandum. Nunc ito luſum cum cæteris, ut me in muſæum recipiam. *L.* Ignoſce mihi, quæſo, Præceptor, quod te interpellaverim. *P.* Nihil me interpellaſti: Non enim occupatus eram. Præterea, ſi te audire mihi moleſtum fuiſſet, nonne poteram te in aliud tempus rejicere? *L.* Tuo jure id poteras. *P.* Abi igitur.

COLLOQ. XXXII.

Invitatur ad prodeambulationem in hortos. Hujus fructus.

CASI-

CASIMIRUS. PRÆCEPTOR.

SAlvus ſis, Præceptor. *P.* Auſpicato advenis. Quid nuncias? *C.* Orat te pater meus, ut animi causâ eamus unà in hortos ſuos ſuburbanos. *P.* Ad eam rem nos invitat ſerenitas, & nunc ſumus feriati. Sed quid illic aſpectu jucundum videbimus? *C.* Varias & pulchras arbores cum ſuis fructibus, item herbarum & florum miram varietatem. *P.* Nihil eſt illis rebus hoc tempore jucundius. *C.* Ea eſt DEI erga nos beneficentia. *P.* Quam equidem aſſiduis laudibus proſequi debemus. *C.* Sed vereor, ne patri in mora ſimus. *P.* Tantiſper exſpecta, dum togam muto, ut ſim ad ambulandum expeditior. Jam paratus ſum: nunc eamus. Sed eſtne domi pater? *C.* Præ foribus nos exſpectat. *P.* Bene res habet, vide, ut eum decenter ſalutes. *C.* De hoc, te docente, ſæpe admoniti fuimus.

COLLOQ. XXXIII.

Salutationes mutuæ.

DAVID. PRÆCEPTOR.

PAter meus tibi ſalutem plurimam dicit. *P.* Ain tu, quando rure rediit? *D.* Heri. *P.* Ut valet? *D.* Optime. *P.* Mater vero ubi eſt? *D.* Adhuc eſt in Suevia. *P.* Ubi in Suevia? *D.* Ulmæ. *P.* De illa quid auditis? *D.* Eſſe bona valetudine præditam, DEI beneficio. *P.* Dominus DEus conſervet eam. *D.* Ita precor. *P.* Dic viciſſim Patri ſalutem plurimam verbis meis. *D.* Faciam.

COLLOQ. XXXIV.

Analogia & Anomalia: DEI favor docet literas, non Magiſtri labor.

Digitized by Google

BRUNO. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, licetne pauca? *P.* Dic libere. *B.* Cur non dicimus: hic arbor, ſicut hic labor? Item, cur Genitivum arboris non proferimus penultima longa, ut fere in cæteris nominibus terminationis ejusdem? *P.* Quia loquendi uſus aliter approbavit: Nec enim ubique locum habet analogia: ſed ubi ea deficit, ſequendus eſt eorum uſus, qui recte & pure loquuti ſunt. Nam ipſa latinitas uſu & auctoritate magis, quam ratione conſtat. *B.* Da igitur auctoritatem de nomine Arbor. *P.* Arboris exeſæ truncus, apud Virgilium. Nonne hic manifeſto vides & genus & accentum? *B.* Video, Præceptor. Sed ſuntne alia eodem accentu? *P.* Inprimis Græca omnia, ut Caſtor, Caſtoris, Hector, Neſtor & ſimilia. Item hæc duo neutrius generis: æquor, æquoris, marmor, marmoris. Sunt & Adjectiva quædam ut memor, memoris, & ex eo compoſitum, immemor. Talia quoque ſunt ex decus & corpus compoſita: Ut indecor, indecoris, tricorpor, tricorporis. Sed hæc apud Grammaticos annotata facile per te invenies. Nam iſta ætas tua majorem in dies requirit diligentiam. Huc accedit, quod hæc ipſa, quæ tuo labore & diligentia inveneris, firmiore tenebis memoria. *B.* Ago tibi gratias, humaniſſime Præceptor, quod me tanta humanitate non ſolum doces, ſed etiam admones. *P.* Bene facis, ſed interim volo memineris, ſoli DEO acceptum referre, quicquid boni

ex

Digitized by Google

ex labore meo in te proficiſcitur. Fruſtra enim docendo laboramus, niſi laboribus noſtris divinus favor acceſſerit: Noſti illud Apoſtoli: Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui dat incrementum, DEus. *B.* Eſſemus profecto plumbo ſtupidiores, ſi iſta ignoraremus, quæ nobis tam ſæpe inculcas, tamque diligenter. *P.* Tanto diligentius vos oportet tum meminiſſe, tum recordari: Sed jam tempus eſt, ut ad quotidianum penſum te referas. Ego vero interea me abdo in muſæolum.

COLLOQ. XXXV.

Uſus loquendi artifex: At emendatus, & cum divina comprecatione.

PRÆCEPTOR. OSWALDUS.

DIc Latine Ein Buch? *O.* Liber. *P.* Liber cujus generis? *O.* Maſculini. *P.* Quî ſcis? *O.* Ex bene loquendi uſu & conſuetudine. *P.* Oſtende uſum? *O.* Nam quotidie loquentes ſic dicimus: Hic liber, cujus eſt? Dicimus item ſæpenumero: Liber meus, liber tuus, bonus liber, & ſimilia. *P.* Bene reſpondiſti: Sed quis loquendi uſum te docuit? *O.* Tu ipſe Præceptor. *P.* Ergone tenes omnem uſum linguæ latinæ? *O.* Si tenerem, jam non eſſem diſcipulus. *P.* Quid igitur? *O.* Magiſter fortaſſe. *P.* Abi, reſponſo tuo contentus ſum. *O.* Gaudeo ſane. *P.* Age gratias DEO, qui tibi dedit ingenium & mentem bonam. *O.* Utinam ſemper agnoſcam ejus in me beneficia! *P.* Utinam ille favore ſuo tua ſtudia proſequatur! Quid hoc ſibi vult,

Oswalde? *O.* Quod mihi bene precaris. *P.* Ergo tu quoque memento bene ex animo precari omnibus, præcipue vero ex condiſcipulis tuis. *O.* Meminero, Præceptor. *P.* Addendum erat, DEO juvante. *O.* Oblitus ſum, fateor.

COLLOQ. XXXVI.

Exemplum ad pueros in Latinis Germanicè vertendis paulatim exercendos.

PRÆCEPTOR. DANIEL.

ATtende Daniel, ut diſcas Latina bene Germanice vertere. *D.* Attendo, Præceptor. *P.* At diligenter. *D.* Immo diligentiſſime & ex animo. *P.* Bene facis. *D.* Propone igitur mihi Latina, ut nobis interdum ſoles. *P.* Quid opus eſt? *D.* Was iſts vonnöthen? *P.* Gallinæ? *D.* Der Hennen. *P.* Ut? *D.* Auf daß. *P.* Illa? *D.* Die. *P.* Sit? *D.* Sey. *P.* Bona? *D.* Gut. *P.* Recte vertiſti, Nunc ad ſingulas partes hujus orationis reſponde nominatim. *D.* Reſpondebo, quoad potero, dummodo mihi præieris. *P.* Quid? *D.* Eſt pronomen. *P.* Opus? *D.* Nomen. *P.* Eſt? *D.* Verbum. *P.* Gallinæ? *D.* Nomen. *P.* Ut? *D.* Conjunctio hoc in loco. *P.* Illa? *D.* Pronomen. *P.* Sit? *D.* Verbum. *P.* Bona? *D.* Nomen. *P.* Age, dicamus iterum, ut ſingula paulo plenius intelligas. *D.* Quid nunc reſpondebo? *P.* Indica breviter ſingularum partium declinatum, ut vos docere ſoleo. *D.* Præito igitur, ut cœpiſti, *P.* Quid? *D.* Quid, cujus pronomen. *P.* Opus? *D.* Hoc opus, operis, ut onus, oneris. *P.* Falleris, Daniel. *D.* Quid ita? *P.* Quia opus hic

Digitized by Google

hic eſt Adjectivum. *D.* Eho, Adjectivum! Quomodo declinatur? *P.* Eſt indeclinabile. *D.* Me miſerum! nunquam iſtud audieram. *P.* Addendum fuit, quod ſciam, vel quod meminerim. *D.* Quamobrem? *P.* Quia fortaſſe audieras, ſed memineras male. *D.* Fieri poteſt, ſed perge (quæſo) me docere. Quid Germanice ſignificat iſtud nomen? *P.* Non ſolet Germanice verti, niſi junctum cum verbo Sum, es. *D.* Da exemplum. *P.* Quotidie in ore habes exempla. *D.* Nunc mihi non occurrunt. *P.* Nonne ſoles dicere, & audire ex condiſcipulis? Opus eſt mihi charta, atramento, pecunia, & ſimilia. *D.* Sæpe dico, fateor, & ſæpe audio, ſed parum adverto. *P.* Nunc igitur adverte, & manda memoriæ: Opus eſt mihi pecunia ad libros emendos. Ich bedarff nöthig Geld Bücher zu kauffen. *D.* Da item aliud exemplum, quæſo. *P.* Opus eſt tibi virgis, ut tua expellatur pigritia. Du haſt Ruthen vonnöthen, damit dir deine Faulheit ausgetrieben werde. *D.* Fateor equidem, Præceptor, ſed DEus, ut ſpero, miſerebitur. *P.* Omnium miſeretur DEus, qui pie illum invocant. Sed de nomine opus jam ſatis multa, quod ad vos attinet: ad cætera redeo. Eſt? *D.* Sum, es, eſt, verbum anomalum. *P.* Gallina? *D.* Gallinæ, ut menſa, menſæ. *P.* Ut? *D.* Non declinatur, quia eſt Conjunctio, Germanice, auf daß. *P.* Illa? *D.* Ille, generis maſculini; illa, Fœminini; illud, neutri. *P.* Declina in Fœminino. *D.* Illa, illius, illi &c. *P.* Sit? *D.* Jam dictum eſt. *P.* Bona? *D.*

Digitized by Google

Bonus, generis maſculini: Bona, fœminini; Bonum neutri, nomen adjectivum. *P.* Confer ad exemplum. *D.* Juſtus, juſta, juſtum, Bonus, bona, bonum. *P.* Nunc mutuo vos interrogate, ut plenius omnia tractetis.

COLLOQ. XXXVII.

Ruſticatio.

BENEDICTUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor. *P.* Quid vis? B. Licetne mihi ire domum? *P.* Cur ante horam? *B.* Pater juſſit, ut nunc abirem. *P.* Quid eget opera tua? *B.* Vult me in villam mittere. *P.* Quid eò? *B.* Petitum uvas, & eadem opera nunciatum aliquid villico noſtro. *P.* Quid ſi me fallis? *B.* Afferam teſtimonium, ut ſoleo. *P.* Quando redibis? *B.* Hora prima, ut ſpero. *P.* Quî tam cito? *B.* Villa noſtra non longe hic abeſt. *P.* Ito ſane.

COLLOQ. XXXVIII.

Excuſator cum teſtibus abſentiæ.

DAVID. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, placetne audire excuſationem meam. *P.* Quando abfuiſti? *D.* Heſterno die. *P.* Quota hora? *D.* Prima. *P.* Quæ fuit cauſa? *D.* Accerſitus fui. *P.* A quo? *D.* A patre. *P.* Quis tibi nunciavit? *D.* Famulus noſter. *P.* Cur me non adiiſti? *D* Quia dicebat ille, ſe urgeri feſtinatione. *P.* Suntne tibi teſtes? *D.* Aſſunt, Præceptor. *P.* Abi, ſede in loco tuo, ego interim eos interrogabo.

COL-

Digitized by Google

COLLOQ. XXXIX.

Fratribus omnia ſint communia.

PRÆCEPTOR. MICHAEL.

CUr non veniſti citius? *M.* Exſpectabam fratrem. *P.* Ubi eſt? *M.* Reſtitit in foro. *P.* Cur eum non adduxiſti? *M.* Volebat emere atramentum. *P.* Imo pira, mala, aut aliquid è cæteris fructibus. *M.* Neſcio, tamen illud dicebat. *P.* Quum ſitis fratres, cur non habetis domi commune atramentum in ampulla? *M.* Frater nihil vult habere commune mecum. *P.* Vult igitur omnia ſibi propria? *M.* Illud eſt. *P.* Admone me, quum venerit: ego illum docebo, quid ſit fraternitas. *M.* Faciam, Præceptor. *P.* Abi in locum tuum.

COLLOQ. XL.

Venia, lege teſtimonii abſentia.

DRUSIUS. PRÆCEPTOR.

LIcetne abeſſe horâ ſecundâ? *P.* Quid habes negotii? *D.* Pater eget operâ mea. *P.* Qua in re? *D.* Ut ſibi aliquid ſcribam. *P.* Sed interim non reddes, quæ ſcripta ſunt vobis. *D.* Jam edidici. *P.* Factum bene! *D.* Placetne tibi audire me? *P* Cras audiam, quum licebit per otium. *D.* Permittisne igitur, ut abſim, Præceptor. *P.* Age, permitto: Sed ita, ut craſtino die ſcriptum afferas teſtimonium. *D.* Ego ſemper tibi affero, aut à patre ſcriptum, aut à noſtro famulo, patris nomine. *P.* Recte facit pater: Sunt enim multi, qui me fallunt mendaciis. Nunc abi, & patri dic ſalutem verbis meis. *D.* Faciam, Præceptor.

Digitized by Google

COLLOQ. XLI.

Ægrotantis domum deductio.

PRÆCEPTOR. CHRISTOPHORUS.

HEus Chriſtophore! *C.* Hem Præceptor! *P.* Quid flet frater tuus? *C.* Ægrotat. *P.* Qui ſcis? *C.* Satis apparet. *P.* Quo ſigno? *C.* Quia vomuit. *P.* Quid illi dolet? *C.* Caput & ſtomachus, ut dicit. *P.* Cur non recipit ſe domum? *C.* Non auſus eſt. *P.* Tu vero non audebas me admonere? Age, duc illum tu ipſe domum usque, & matri narra diligenter, ut ille ſe habet, propera. Quid ceſſas? duc eum lento gradu. *C.* Ducam, Præceptor.

COLLOQ. XLII.

Somniculoſus: Serotinus ſcholaſticus: Tergiverſator: Confeſſor: Deprecator: Præceptoris dexteritas in exigendo: Pietas in corrigendo: Fides in cohortando. Fructus alacritatis, ſtudii & pietatis in puero.

PRÆCEPTOR. THOMAS.

HEus Thoma! ſequere me in cubiculum, eſt, quod te ſeorſim monere velim. *T.* Aſſum, Præceptor. *P.* Nunquamne mature in ſcholam venis? *T.* Non poſſum venire citius. *P.* Semper iſtud dicis, quid impedit? *T.* Nemo eſt domi noſtræ, qui me expergefaciat. *P.* Nemo? *T.* Prorſus nemo. *P.* Non habetis ancillam? *T.* Habemus quidem, ſed non curat, ut me excitet. *P.* Imo tu (ut opinor) non curas, ut ſurgas. Nonne verum dico? quid taces? reſponde nunc tandem aliquid. *T.* Me miſerum! quid agam? *P.* Nihil eſt, quod terrearis

fateri

ſateri verum. *T.* Quid ſi confeſſus ero? *P.* Eho, tibi ignoſcam, crede mihi. *T.* Ah! pudet! *P.* Ne pudeat verum fateri, quæſo, alioqui vapulabis: Pergin tacere? Heus Obſervator! viſe ad matrem ejus & roga. *T.* Ne mittas, oro, Præceptor, dicam tibi rem omnem, nihil reticebo. *P.* Age, eſto animo bono. *T.* Sic eſt profecto, ut dixiſti. *P.* Non ſatis iſtud eſt: Volo audire ſigillatim omnia. Narra mihi plane, quemadmodum ſeſe tota res habeat. *T.* Quum venit ancilla me excitatum, primum nihil reſpondeo, quaſi ſerio dormiam: deinde, ſi magis urgeat, attollo ægre caput, ſedeo in lecto, thoracem injicio humeris, quaſi ſtatim ſurrecturus. *P.* Quam pulchre narras! Ita me DEus amet, nunc te magis amo, quam unquam feci, perge. *T.* Quamprimum egreſſa eſt ancilla cubiculo, tum ego reclino caput in pulvinar, ac dimitto pedes. *P.* Etiamnum redormis? *T.* Ego vero redormio bene placideque. *P.* Quamdiu? *T.* Donec ancilla ſecundo veniat. *P.* Quum redit, quid tibi dicit? *T.* Exclamat, vociferatur, inſanit. *P.* Quibus utitur verbis? *T.* Hem nebulo (inquit) quando eris in ſchola? Ego dicam Præceptori tuo, ut te bene verberet: tu nunquam vis ſurgere, niſi bis aut ter excitatus fueris. *P.* Bona fide promittis, facturum te poſthac officium? *T.* Si unquam recidero, cauſam non dico, quin palam cædar virgis, idque acerbiſſime. *P.* Belle quidem promittis; Sed quomodo præſtabis promiſſa? *T.* Adjuvante Domino DEO. *P.* Qua ratione flectes illum? *T.*

Fide & aſſiduis precibus. *P.* Alioqui nihil poſſis obtinere. *T.* Credo equidem. *P.* Non ſatis eſt credere, niſi cures, ut efficias diligenter. *T.* Curabo pro viribus, & dies noctesque id unum meditabor. *P.* Optime loqueris, dummodo memor eſſe pergas. *T.* Quomodo poſſem obliviſci? nunquam deſinunt illud monere Concionatores. Tu vero fere quotidie id nos hortaris, & bene facis, Præceptor, quia omnes ſumus valdè negligentes; ſed ego inprimis. *P.* Da igitur operam, ut omnium primus mores iſtos mutes: ac memento præcipuè ſemper verax eſſe. *T.* Faxit DEus, ut nunquam mentiar. *P.* O quam felix eſſes! *T.* Satis in præſentia felix ero, ſi tantum me abſolveris. *P.* Faciam, quod tibi ſum pollicitus; ſed ea lege, ut promiſſi tui memineris, & re ipſa præſtes, quod nunc mihi recepiſti. *T.* Quid igitur reſtat, quo minus abeam liber? *P.* Immo aliquid reſtat, mane, & audi etiam nunc. *T.* Quamdiu voles Præceptor. *P.* Inter cætera excutias oportet iſtam pigritiam, quæ te in lecto detinere ſolet: Non enim decet ſtudioſum adoleſcentem ſomniculoſum & inertem eſſe, ſed alacrem & experrectum, cujusmodi vides aliquos ex condiſcipulis tuis. Non tenes memoria divinum Petri Apoſtoli præceptum? *T.* Quod illud eſt? *P.* Sobrii (inquit) eſtote & vigilate. *T.* O quoties audieram, ſed, proh dolor! nunquam uſurpavi. *P.* Fac, ut ſtudioſè uſurpes inpoſterum, neque illud ſolum, ſed etiam cætera, bene vivendi præcepta, quæ

toties

toties audiviſti. Quod quidem ſi diligenter feceris, tibi inprimis benè conſules: jucundior eris parentibus, & mihi & condiſcipulis tuis: denique tu, quod eſt præcipuum, charus eris DEO, qui ſtudia tua in gloriam ſui nominis magis in dies promovebit. *T.* O quantum fructum ſentio ex iſta admonitione tua! *P.* Vehementer ſane gaudeo, & tua & condiſcipulorum cauſa. *T.* Quid ſi narres illis meam pœnitentiam? *P.* Ego vero narrabo primo quoque tempore, ut exemplo tuo diſcant, nihil eſſe acceptius DEO, quam culpam agnoſcere, & ad frugem bonam redire. Vale Fili, & adeſto horâ tertiâ in auditorio. *T.* Ago tibi gratias ingentes, amantiſſime Præceptor.

COLLOQVIORUM SCHOLASTICORUM

LIBER V.

Paulò graviora continens, præſertim in moribus & Chriſtiana doctrina.

COLLOQ. I.

Oculi teneritudo ex levi pulviſculo laborantis.

LAURENTIUS. SAMUEL.

OBſecro te, Samuel, da mihi operam pauliſper. *S.* Quid iſtud eſt? *L.* Neſcio, quid incidit mihi in oculum, quod me habet valde male. *S.* In utrum oculum incidit? *L.*

In

In dextrum. *S.* Vis inſpiciam? *L.* Inſpice, amabo te. *S.* Aperi, quantum potes, ac tene immotum. *L.* Non queo à nictu continere. *S.* Mane, egomet tenebo ſiniſtra manu. *L.* Ecquid vides? *S.* Video aliquid minutum. *L.* Exime (quæſo) ſi potes. *S.* Imò jam exemi. *L.* O factum bene! *S.* Cerne tu ipſe. *L.* Eſt mica pulveris. *S.* Et quidem usque adeò puſilla, ut vix cerni poſſit. *L.* Vide, quantum doloris afferat oculis res tam exigua. *S.* Haud mirum quidem, nullum enim è membris exterioribus oculo tenerius eſſe dicitur: Inde etiam fit, ut experiamur nihil nobis eſſe carius. *L.* Hoc DEus approbat, cum de ſua in nos charitate loquens apud Zachariam Cap. 2. ſic ait: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. *S.* O immenſam DEI bonitatem, qui nos tantopere caros habet! *L.* Nonne mihi rubet oculus? *S.* Aliquantulum, nempe quia fricuiſti. *L.* Credin tu adhuc mihi dolere? *S.* Quidni credam, quia toties talem moleſtiam ſum expertus. *L.* Experientia eſt rerum magiſtra. *S.* Ita vulgo dicitur. *L.* Quid pretii dabo medico pro labore? *S.* Quantum pacti ſumus. *L.* Brevis eſt concluſio: ergo nihil. Sed tamen habeo tibi gratiam. Atqui utinam detur referendi locus. *S.* Quin potius avertat DEus. *L.* Bene correxiſti, dixeram imprudenter, at ſine dolo. *S.* Sic accepi; ſed interim jocari licet, præſertim ut in latina lingua nos exerceamus. *L.* Faxit Dominus DEus, ut omnia ſtudia noſtra ad gloriam ipſius referantur. *S.* Faxit precor.

COL-

COLLOQ. II.

Familiariter commodantium ſtudia.

ALEXANDER. CAROLUS.

ECce reddo tibi commodatum, & gratias ago maximas. *C.* Non eſt quod agas; Sed ſatisne uſus eras? *A.* Satis diu uſum conceſſiſti, quæ tua eſt humanitas. *C.* Quoties opus erit quæſo, ne parcas rebus meis. *A.* Non parcam, quando ita jubes. *C.* Pergratum mihi feceris. *A.* Gratiam habeo maximam. Tu vero noſtris viciſſim utere, ſi quid opus fuerit. *C.* Non eſt, quod moneas, ſatis mea ſponte ſum impudens. *A.* Immo verecundus nimis. *C.* Eſto, aliquando tamen ſenties. *A.* Ita velim. Bene vale. *C.* Te ſervet Dominus DEus.

COLLOQ. III.

Cur Evangelium diligenter audiendum.

PAULUS. QVINTINUS.

CUr diligenter audire debemus Evangelium? *Q.* Ut diſcamus DEum colere ex voluntate ejus. *P.* Nihil aliud reſpondes? *Q.* Quid reſponderem? nihil enim ſcio præterea. *P.* Nonne etiam, ut ſobrie & juſte vivamus? *Q.* Declara mihi illa duo Adverbia, quæſo. *P.* Sobrie, id eſt, continenter; juſte, id eſt, in juſtitia, nempe ut ſuum cuique tribuamus. Ita ſit, ut ſobrie ad vitam cujusque privatam pertineat; Juſte autem ad charitatem, quam proximo debemus. *Q.* Sed audi, mi Paule: Nonne cultus DEI omnia illa complectitur? *P.* Probe ſentis, Quintine: ſed volui experiri, an reſponſionem tuam recte intelligeres.

res. *Q.* Bene feciſti: Nam de ſincero verbi divini intellectu nihil nimis dici poteſt. Et de hac re quidem tecum pluribus verbis libenter agerem; ſed nos hora ipſa admonet ut diſcedamus.

COLLOQ. IV.

Verba pluris ſunt, quam verbera.

OBSERVATOR. BENEDICTUS.

FRater tuus ſemper in concione aut garrit, aut ineptit, aut aliquem incitat; ex quo fit, ut ſæpe notandus ſit, deinde vapulet. *B.* Quid vis faciam? *O.* Cur non ſæpe mones? *B.* Nunquam deſiſto monere. *O.* Perge, precor. *B.* Nihil eſt, quod me preceris, nunquam ceſſabo, donec (volente DEO) aliqua ex parte ſe correxerit. *O.* Sic uſurpabis Catonis præceptum: *Quando mones aliquem.* Noſti cætera. *B.* Sed oro te, mi Benedicte, ut quoties eum notaveris, id mihi renuncies. *O.* Nunquam finis eſſet: adeo frequens eſt nomen ejus in meis commentariolis. *B.* Saltem fac me ſemel certiorem, quam primum commiſerit, quo ſit accuſandus: tum dicam patri, cujus verba magis timet, quam verbera. *O.* Iſtud non eſt parvum bonæ indolis argumentum. *B.* Ita ſpero quidem: Facies igitur, quod rogo? *O.* Ego vero, atque libens.

COLLOQ. V.

Arcani reticentia.

PHILIPPUS. MARCUS.

QVid conſilii tractabas modo cum Præceptore? *M.* Si ſcire cupis, illum percontare. *P.* Cur me celas; *M.* Ut ne palam facias. *P.* Non

Non ideo, crede mihi, te rogo, ut id proferam, Quid enim proficerem? *M.* Quamobrem igitur tam cupide rogas? *P.* Nimirum, ut mecum tacitus gaudeam, ſi quid boni audierim. *M.* Itane paratus advenis, ut a me extorqueas, quod mihi uni, idque à Præceptore, creditum eſt. *P.* Quod mihi dixeris, ſurdo & muto dictum puta. *M.* Egone tergum meum in fidem tuam committam? *P.* Id profecto potes, & quidem ſine periculo. *M.* Nunquam dices tam commode, ut iſtud mihi perſuadeas. *P.* Dabo fidem, me taciturum. *M.* Etiamſi ter quaterque ſanctiſſime juraveris, non prodam; Proinde tu deſine percontari. *P.* Hem! ubi eſt illa noſtra amicitia? *M.* Neſcis dictum illud ſapientis? Quod tacitum eſſe vis, nemini dixeris. *P.* Audivi aliquoties, ſed quod amico dictum ſit, nemini dictum videtur. Eſt enim amicus, quaſi alter idem. *M.* Eadem tibi dicet, qui ſcire ex te volet, & item alius, qui ex illo: atque ita ad aures omnium perveniet. Itaque ſi me tibi poſthac vis amicum eſſe, me miſſum facito. *P.* Non ſum Imperator, ut te miſſum faciam. *M.* Pergin moleſtus eſſe? *P.* Abire malim, quam tibi moleſtiam exhibere.

COLLOQ. VI.

Domum itio accerſitu paterno.

MARULEUS. NÆVIUS.

QVando vis abire domum? *N.* Neſcio, ubi DEO viſum fuerit: id enim pendet ex voluntate ejus, non mea. *M.* Quid ſi te accerſat pater. *N.* Tunc intelligam, DEum ſic velle, ideoque

que parebo. *M.* Quid ſi alia fuerit DEI, alia patris tui voluntas? *N.* De hoc non eſt meum diſputare; Sed ut confido, pater non temere me accerſet. *M.* Ego quoque non aliter ſentio; Sed volui tantiſper tecum fabulari. *N.* Gaudeo hunc noſtrum ſermonem non fuiſſe fabuloſum. *M.* Utinam in ſcholis frequentiores eſſent ſermones ejusmodi! *N.* Tum erunt, quum DEus ipſe puerorum animos timore ſui affecerit. *M.* Ergo precemur eum, ut id brevi contingat.

COLLOQ. VII.

Patris in filium obedientem animus inexplicabilis.

MARCELLUS. HIEREMIAS.

QVa pecunia emiſti librum iſtum? *H.* Qua cenſes, niſi mea? *M.* Miror, unde habueris? *H.* Quid miraris? An tibi debeo reddere rationem? *M.* Egone exigo? *H.* Videris exigere. *M.* Non exigo, inquam, ſed ſic ſolemus inter nos familiariter & libere fabulari, ut Latine ſemper condiſcamus aliquid. *H.* Ea res, fateor, plurimum confert nobis ad Latine loquendi facultatem; ſed nemo eſt tam lenis, quin interdum ſubiraſcatur. *M.* Eſt, ut dicis, ſed eſt brevis puerorum ira. *H.* Quod autem de pecunia rogabas, eam à patre acceperam. *M.* Quando venerat? *H.* Abhinc octo dies. *M.* Miror, quod eum non viderim. *H.* Non eſt, quod mireris. *M.* Quid ita? *H.* Quia vix ſesquihoram hic moratus eſt. Quum enim de equo deſcendiſſet, meque paucis eſſet alloquutus: aſcendamus (inquit) in tuum cubicu-

bicu-

biculum, ut tecum liberius colloquar. *M.* Sed antequam narras cætera, velim ſcire, quid ſibi voluerit adventus ejus tam inopinatus. *H.* Falſo quodam rumore (ut fit) audierat, me ægrotare. *M.* Quid ille, quum præter ſpem te valentem invenit? *H.* Mirifice affectus eſt gaudio *M.* Quis dubitet? *H.* Præterea DEO Opt. Max. maximas egit gratias. *M.* Libenter hæc audio; perge, quæſo. *H.* Tum me de valetudine percontatur; una precamur, non ſine gratiarum actione. Tandem quærit, ecquid mihi opus ſit? Opus inquam, pater: Qua, inquit, re eges? Libro, inquam, ſex aſſium. Tum ille promit ex marſupio decuſſem: eum mihi in manum dat, & vale dicto, ſtatim conſcendit equum, atque abit. *M.* Cur tibi plus dedit, quam petiveras? *H.* Iſtud inepte quæris. Scilicet ita lætus erat, quia me præter ſpem bene ſanum offenderat. Quod ſi vel coronatum petiviſſem, libenter dediſſet mihi. *M.* O quantum debes illi ſummo Patri, qui tibi adeo bonum patrem dederit. *H.* Nec cogitari quidem poteſt, quantum debeam. Nam etiamſi malum dediſſet, deberem tamen non parum. Sed quid ceſſamus auditum ire prælectionem? *M.* Jam inſtat hora tertia. *H.* Parata mihi ſunt omnia. *M.* Mihi quoque. *H.* Eamus ergo in auditorium.

COLLOQ. IIX.

Miles impius è Scholaſtico.

JOHANNES. ULRICUS.

UBi nunc eſt frater tuus natu maximus? *U.* Ivit

in

in militiam. *J.* Quid ais, in militiam? *U.* Sic res eſt. *J.* Ergo valedixit literis? *U.* Jam pridem literarum ſatietas eum cœperat. *J.* Quid ita? *U.* Neſcio, niſi quia volebat liberius vivere. *J.* Cur permiſit pater? *U.* Quid? putas permiſiſſe? patre abſente, matre invita profectus eſt. *J.* O miſerum adoleſcentem! *U.* Immo vero miſerrimum. *J.* Quid faciet? *U.* Id quod cæteri, qui ſequuntur illud vitæ genus; nempe ſpoliabit, rapiet, ludet alea, potabit, ſcortabitur. *J.* Eſtne iſthæc militum vita? *U.* Omnino. *J.* Unde ſcis iſtud? *U.* Audivi nuper ex patre, quum cœnaremus unà. *J.* Quorſum narrabat talia? *U.* Docebat nos, nihil eſſe utilius, quam DEum timere, qui cuſtodit parvulos, eosque in viam rectam paulatim inducit. *J.* Et Præceptor noſter de iis rebus ſæpe nos admonet. *U.* Tanto magis debemus eſſe ſoliciti, ut parentes charos habeamus, & præceptores, quorum opera DEus ad noſtram inſtitutionem utitur. *J.* Utinam utrique præſtemus, quod ipſe nobis ſua lege præcepit. *U.* Ita faxit ille. *J.* Faxit, precor.

COLLOQ. IX.

Materna in liberos indulgentia. Paterna ſeveritas utilis ac exorabilis.

LUCAS. JACOBUS.

AUdio fratrem tuum jam rediiſſe ex Gallia. *J.* Sic eſt. *L.* Solusne rediit? *J.* Non omnino. *L.* Quis igitur cum illo? *J.* Quidam civis hujus oppidi, qui fere biennium illic habitaverat. *L.* Cur iverat frater? *J.* Miſſus illic fuerat

rat à patre, ut Gallicè diſceret loqui. *L.* Quam igitur ob rem non fuit illic diutius? *J.* Non poterat ferre diutius matris deſiderium. *L.* O tenellum adoleſcentem! Quotum agit annum? *J.* Septimum decimum, ſi recte mater meminit, ex qua id audivi ſæpe. *L.* Age, quo vultu à patre acceptus eſt ejus adventus? *J.* Rogas? Pater non ſuſtinebat illum aſpicere: quin etiam nec ſalutatione dignatus, nec alloquio, juſſit eum abire è conſpectu. *L.* Quid præterea? *J.* Niſi mater cum lacrymis interceſſiſſet, jubebat apparitorem accerſi, qui miſerum in carcerem conjiceret. *L.* Atqui non poterat injuſſu Magiſtratus. *J.* Neſcio: tamen conabatur. *L.* Quid poſtea factum eſt? Cubuitne domi veſtræ? *J.* Minime vero. *L.* Ubi igitur? *J.* Sororis meæ virum noſtin? *L.* Tanquam te. *J.* Eò miſſus à matre, dum patris ira deferveſceret. *L.* Quid tandem accidit? *J.* Egit mater cum propinquis & amicis noſtris, ut iratum patrem mitigarent. *L.* Sic igitur frater tuus cum patre in gratiam rediit? *J.* Id non fuit magni negotii: Jam enim patrem cœperat pœnitere, quod ſic excanduiſſet, quodque tam graviter accepiſſet filium. *L.* Nempe dies ejus iram lenierat. *J.* Ea tamen lege recepit illum, ut promitteret ſe in Galliam rediturum ſtatim à vindemia. *L.* Vide, quam ineptus ſit iſte in matres noſtras affectus. *J.* Atqui ipſæ matres ſunt in cauſa. Cur enim adeo tenere nos adamant? *L.* Naturam cogere difficile eſt. *J.*

 In

In hanc ſententiam tenesne verſum ex Horatio? *L.*

Naturam expellas furca licet, usque recurret.

J. Sed quid hoc? dum fabulamur, à luſu ceſſatum eſt. *L.* Nihil inde nobis accidit mali. Ad diſputationes conveniamus jam.

COLLOQ. X.

Olerum genera: & ex his cibi. Moretum. Paterna in curatione liberorum ſolicitudo.

CONRADUS. LAMBERTUS.

UBi fuiſti hodie poſt prandium? *L.* in horto Præceptoris. *C.* Quid illuc iveras? *L.* Ille me miſerat petitum olera. *C.* Quæ tandem olera collegiſti? *L.* Vix enumerare poſſum omnia. *C.* Saltem, quæ occurrunt memoriæ. *L.* Sed cur iſtud quæris? *C.* Ut interim recordemur aliqua rerum nomina, quæ parvuli didicimus. *L.* Pulchra eſt exercitatio, præſertim cum aliquod nobis ſuppetat otii. Audi igitur: Collegi allia, ſerpyllum, porros, cœpas, naſturtium, cuminum, fœniculum, thymum, amaracum, hyſſopum, apium, ſalviam, ſaturejam. *C.* Herbæ ſunt olentes, quas adhuc numeraſti. *L.* Sic inſtitueram memoriæ gratia. *C.* Perge porro. *L.* Paucæ quidem reſtant, ut beta, cichorium, lactuca, oxalis, eruca, braſſica, portulaca: plures non occurrunt. *C.* Qui potuiſti tot meminiſſe? *L.* Præceptor mihi dederat ſcriptum catalogum. *C.* Et noveras omnes? *L.* Noram, alioqui eum interrogaſſem. *C.* At ego non novi omnes, quamvis nomina didicerim.

cerim. *L.* Ego tibi plures etiam demonſtrabo, quum licet nobis in hortum ire. *C.* Multumne attuliſti? *L.* Plenum calathum. *C.* Sed de ſingulis quantum? *L.* Nimis es curioſus: quid vis? De ſingulis attuli, quantum opus fuit. *C.* Tametſi curioſus tibi videor: tamen hoc mihi velim reſpondeas. Scin tu, in quem uſum Præceptor tot olerum genera curet apparanda? *L.* Partim ut jus bene condiatur, partim ut minutal ex oleribus fiat. *C.* Quam bene conſulit nobis? *L.* Optime. Sed tamen ea non eſt cauſa præcipua. *C.* Quænam igitur? *L.* Legiſtine unquam Moretum Virgilii? *C.* Carmen quidem legi, ſed Moretum nunquam edi, nec vidi, quod ſciam. *L.* At videbis; ſpero. Nam Præceptor uxorem docuit conficere, & illa confecit ex ejus præſcripto. *C.* An apponetur aliquid in cœnam boni? *L.* Saltem jus carnium pingue benè conditum, carnes optimæ & minutal ex oleribus. *C.* Unde ſcis iſta? *L.* Omnia vidi in culina, quum juſſus eſſem adjuvare, præcipuè in meis oleribus repurgandis. *C.* Quid moretum? Num ſaltem guſtabimus? *L.* Immò dabitur nobis: nam confectum eſt, quod ſatis ſit omnibus. *C.* Iſta mihi ſapiunt magis, præſertim æſtate, quam carnes ipſæ, aut piſciculi. *L.* Optarem profectò ſervari carnes in hyemem, ut tota æſtate olera & fructus eſitaremus. *C.* Atqui, ut accepi, iſta minus alunt. *L.* Id ego audivi quoque aliquoties: Sed quid opus eſt tanto ſtudioſis alimento? *C.*

Non tanto, fateor; Si tamen parentes nos viderent pallidos & macilentos, ſtatim ejus rei culpam, aſſignarent Præceptori: nonne ſic eſt? *L.* Non eſt dubium; ſed quid agas? Ferè parentes, præcipuè matres, nobis indulgent nimium. *C.* Vera quidem dicis, ſed tu interim matris indulgentia libenter frueris. *L.* Quaſi verò tu minus. *C.* Ne mentiar, quod tibi adſcribo, in me quoque frequenter experior. *L.* Non poſſumus parentum erga nos affectum, niſi noſtris vitiis, immutare. Tantum caveamus eorum abuti benevolentia; ſed inprimis laudemus illum patrem noſtrum benigniſſimum, qui nobis tales progenitores dedit. *C.* Iſta libens audio: ſed nos hora vocat. *L.* Age, finem imponamus.

COLLOQ. XI.

Emtor carnis. Appenſio ad libram. Divinator pretii. Fortuna nihil eſt. Mos Tyrannus. Loquendi cautio.

MAURITIUS. DIODORUS.

UNde redis? *D.* E foro. *M.* Quid emiſti? *D.* Carnem. *M.* Qualem? *D.* Vitulinam. *M.* Oſtende quæſo: fere nova res eſt hoc tempore. *D.* Vide. *M.* Bona videtur mihi. *D.* Non falleris, opinor. *M.* Quot ſunt libræ? *D.* Nolunt appendere vitulinam. *M.* Cur non? *D.* Propter novitatem. *M.* Vide aſtutiam! ſcilicet quisque vendit, quam poteſt cariſſimè. *D.* Rem acu tetigiſti. *M.* Quantum putas pendere? *D.* Duas libras, & paulo amplius. *M.* Quanti emiſti? *D.* Age, divina. *M.* Non ſum divi-

divinus. *D.* Atqui multi divinant, qui tamen divini non ſunt. *M.* Fieri poteſt; ſed ex quibusdam conjecturis: alioqui divinatio vetita eſt in divinis literis. *D.* Divina igitur ex conjectura. *M.* Emiſti totum duobus aſſibus? *D.* Paulo minoris. *M.* Quanti ergo? *D.* Tenta iterum. *M.* Viginti denariolis. *D.* Nolo te diutius torqueri de nihilo. *M.* Dic igitur ſodes. *D.* Hoc totum conſtitit mihi ſex quadrantibus. *M.* Profecto fortuna tibi pulchrè favit. *D.* Quam mihi narras fortunam? *M.* Hic mos eſt loquendi. *D.* Mos, ut dicitur, tyrannus eſt peſſimus. Atque utinam bonos mores tam ſtudiosè coleremus, quam obſtinatè retinemus malos! *M.* Tunc melius ſe haberent omnia. *D.* Nos igitur fortunam iſtam Ethnicis & impiis relinquamus. Fortuna nihil eſt: ſolus eſt DEus, qui favet nobis: ſolus eſt adjutor & protector noſter. *M.* Iſtud quidem certò ſcio, fideliter credo, & vere confiteor: ſed quid agas? ſæpe labitur lingua, nihil mali cogitante animo. *D.* Oportebat te illud meminiſſe. (Ne lingua præcurrat mentem.) *M.* Iſtud quidem didicimus ex ſeptem Sapientum dictis: ſed non ſemper occurrunt ejusmodi pulchre dicta, licet ea mandaverimus memoriæ. *D.* Tanto igitur magis illa eſt exercenda, ut nobis, quum opus eſt, ſuppetant. *M.* Iſto tuo admonitu diſcam eſſe alias prudentior. *D.* Sed audio ſignum dari: deſinamus.

COLLOQ. XII.

Obſonatio, obſonandi cautio.

HERUS. FAMULUS.

FUiſtine hodie in foro? *F.* Fui. *H.* Quando? *F.* Poſt concionem ſacram. *H.* Quid emiſti nobis? *F.* Fere nihil. *H.* Quid autem? *F.* Butyrum. *H.* Quanti? *F.* Quadrante. *H.* Tantillum? *F.* Non auſus ſum amplius emere. *H.* Quid timebas? *F.* Ne bonum non eſſet. *H.* Satis prudenter factum. *F.* Cur iſtud dicis, Here? *H.* Quia malim te eſſe hac in re timidiorem, quam audaciorem. Sed nunquid emiſti præterea? *F.* Nihil *H.* Eho, nihilne? *F.* Nihil prorſus. *H.* Vah, quam parce nobis obſonatus es! *F.* Quid aliud emere potuiſſem? *H.* Quaſi neſcias, quibus cibis oblectari ſoleam. *F.* Scio te amare caſeum molliuſculum, & pira, & alios fructus recentes. *H.* Recte dicis, cur ergo non emebas? *F.* Caſeus carior erat pro noſtra pecuniola. *H.* Quid fructus? *F.* Alii erant non ſatis maturi, de aliis ego dubitabam, eſſentne boni? *H.* Miſer! non poteras guſtare? *F.* Atqui iſtæ mulieres nihil guſtare permittunt, niſi te emturum affirmes. *H.* Nihil mirum. Multi enim guſtarent animi tantum gratia. Tu igitur eſto alias prudentior. *F.* Quomodo. *H.* Si videris pulchrum aliquem fructum, eme aliquantulum denariolo, ut facias periculum. *F.* Quid tum præterea? *H.* Si tibi ſapuerit, tum emito amplius; ſin minus, relinquito, & aliò te conferto. *F.* Bona eſt iſta cautio. *H.* Memineris igitur, ut ipſe poſtea utaris? *F.* Ego, ut ſpero, meminero diligenter. Nunquid vis

præ-

præterea? *H.* Ut cures, quæ tui ſunt officii, deinde literis incumbas.

COLLOQ. XIII.

Accuſatio Latinitatis omiſſæ & conſenſionis in peccato. Æquitas in Præceptore, exigente Latinitatem. Malitia in peccando. Studia pie viventium.

CAROLUS. QUINTUS.

ADfuiſti matutinæ precationi? *Q.* Adfui: Tu vero ubi eras? *C* Iveram ad Patrem in cauponam. *Q.* Quid eò? *C.* Heri veſperi juſſerat, ut ſe convenirem benè mane. *Q.* Qui auſus es tam mane prodire, idque inconſulto Præceptore? *C.* Heri veniam impetrabam, antequam iretur cubitum. Sed dic mihi, quid ille à precatione palam admonuit? *Q.* Audivi, inquit, eſſe inter vos, qui ſæpenumero Germanice ſabulentur; & nemo interea veſtrum mihi quicquam indicat, quod eſt argumentum conſenſionis omnium in eodem peccato. Hæc fuit accuſationis ſumma: Deinde in eam ſententiam multa dixit, quæ meminiſſe non potui. *C.* Sed quæ tandem fuit concluſio? *Q.* Quamobrem, inquit, admoneo vos, ut alius alium ad Latine loquendum cohortemini diligenter, & eorum nomina, qui parere noluerint, ad me quamprimum deferatis, ut huic malo remedium adhibeam. *C.* Nullum igitur verbum licebit efferre Germanicum? *Q.* Quantum ex verbis ejus colligere potui, non ita rem intelligit, non enim, ut ſcis, uſque adeo eſt ſeverus exactor, ut ſtatim puniat, ſi cui verbum

 ali-

aliquod inter colloquendum exciderit. *C.* Aliquoties, ut memini, palam dixit, edictum ad eos demum pertinere, qui cum Latine ſciunt, tamen ſemper latibula quærunt, ut Germanicè fabulentur, idque de rebus ineptiſſimis. *Q.* Ea eſt quorundam pertinacia, ut malint ſæpiſſime vapulare, repugnando præceptis honeſtiſſimis, quam laudari atque etiam diligi obſequendo. *C.* Meminiſti audire ex ipſo Præceptore: Nitimur in vetitum. *Q.* Memini, atque adeo eſt veriſſimum: tamen, qui doctrinam Chriſti libenter amplectuntur, non ſtudio peccant, neque malitia. *C.* Iſtud præſtat verus ille timor Domini. *Q.* Tales igitur, quoad licet per naturæ infirmitatem, ſedulo cavere nituntur, ne quid ſcientes faciant, dicant aut cogitent, quo DEus vel minimum offendatur. *C.* Ergo ſtudeamus & nos id ipſum cavere, ſtudeamus recte vivere, DEI noſtri parere voluntati; non modo ne vapulemus; ſed magis, ut illi optimo Patri noſtro placeamus. *Q.* Ita fiet, ut vere ſimus non tenebrarum; ſed lucis filii. *C.* Sed de his alias pluribus: nunc ad diſputationes recipiamus nos. *Q.* Ecce, vocat ſignum.

COLLOQ. XIV.

Obſonator carnium. Proprietas verborum. Vivarium. Liberalitas non oſtentata.

ALBERTUS. TIBERIUS.

NUnc demum redis à foro? *T.* Qui demum? tanta eſt ad macellum turba, ut vix accedere potuerim. *A.* Quas attuliſti nobis carnes in

in diem craſtinum? *T.* Bubulam & vervecinam. *A.* Eſtne in foro carnium magna copia? *T.* Tanta profecto, ut mirer adeo caras eſſe. *A.* Nihil mirum, ut multæ ſunt carnes: ita multi, qui carnes edunt quotidie. Sed quæ potiſſimum vidiſti carnis genera? *T.* Vidi bubulam, vitulinam, ovillam, vervecinam, ſuillam, hædinam, agninam. *A.* Nihilne amplius? *T.* Quid velles præterea? *A.* Nihil igitur erat ferinæ? *T.* Non queo referre ſimul omnia; Immo etiam ferinam vidi. *A.* Qualem? *T.* Cervinam & aprugnam: ô quam pinguis eſt aprugna! *A.* O quam ineptus es! *T.* Quid ita? *A.* Quia falleris in rerum nominibus. Nam quod in ſue domeſtica dicitur arvina, id in ſue fera (id eſt apro) callum vocatur, & eſt in eo genere duriſſimum. *T.* Iſtud quidem audire non memini. *A.* Nunc audiſti: manda, ſi placet, memoriæ. *T.* Tu vero Doctor, unde didiciſti? *A.* Domi noſtræ ferina caro res eſt frequentiſſima. *T.* Unde vobis tanta eſt copia? *A.* Pater habet ruri ferarum multarum vivarium, ex quo interdum ſolidi apri in urbem afferuntur. *T.* Quale eſt vivarium iſtud? *A.* Locus eſt ferè quadrangulari forma ampliſſimus, muris altiſſimis ſeptus, undique conſitus multis & proceris arboribus, inter quas ſunt dumeta maximè denſa. *T.* Quales ſunt illic arbores? Utrum urbanæ, an ſylveſtres? *A.* Sylveſtres fere omnes; ſed in his ſunt potiſſimum quercus & fagi, quarum glande paſcuntur cervi, apri, damæ. *T.* O quantas merito

rito gratias DEO debetis, qui vobis largitus eſt tantam rerum omnium abundantiam! *A.* Non ſumus immemores beneficiorum ejus. Pater enim plurima bona in pauperes erogat: quod tamen tibi uni dictum eſſe velim. *T.* Cur ita? *A.* Quia talia non vult prædicari. *T.* Tanto magis laudandus, quod Chriſti præceptum verè ſequitur, cujus verba apud Matthæum ſcripta ſunt: Quum facis, inquit, eleemoſynam; & quæ ſequuntur. *A.* Quoto capite? *T.* Sexto, niſi fallit memoria. *A.* Sed hæc hactenus, ſatis enim ſumus colloquuti: & jam ad diſputandum convenitur. *T.* Eamus igitur. *A.* Sequere me, aut, ſi mavis, præcede. *T.* Ego neutrum faciam; ſed unà ibimus.

COLLOQ. XV.

Mora reverſionis. Fructus autumnales. Compenſatio neglectorum in literis. Viva vox Magiſtri. Signum cœnæ.

GODERINUS. MATTHIAS.

HOdie igitur demum è villa revertiſti? *M.* Hodie, idque paulo ante prandium. *G.* Atqui dixeras, te futurum illic modo biduum. *M.* Ita ſperabam fore; & ſic pater promittebat. *G.* Quid igitur obſtitit, quo minus redieris citius? *M.* Mater me detinuit, tametſi etiam cum lacrymis eam obſecrarem, ut me miſſum faceret. *G.* Sed cur te tamdiu remorata eſt? *M.* Ut ſe comitarer in reditu. *G.* Quid vero agebas interea? *M.* Colligebam fructus cum ruſticis noſtris. *G.* Quos fructus? *M.* Quaſi non ſint tibi noti

noti fructus autumnales, & ſerotini, pira, mala, juglandes, caſtaneæ. *G.* O jucunda exercitatio! *M.* Non jucunda ſolum, ſed etiam frugifera. *G.* Sed hoc malum, quod interim quinque aut ſex prælectionum fructus tibi periit. *M.* Non omnino periit, ſpero: curabo pro viribus, ut aliqua ex parte recuperem. *G.* Quid facies? *M.* Deſcribam, quam potero, diligentiſſime. *G.* Quid tum poſtea? *M.* Ediſcam ipſam auctoris orationem. *G.* Sed ſententiam non ſatis intelliges. *M.* Ipſa me juvabit Præceptoris interpretatio, ut ſenſum magna ex parte aſſequar. *G.* Nec tamen id ſatis erit. *M.* Tu, ſi placet, aderis mihi per otium, ut conferamus unà. *G.* Libenter equidem faciam: Sed ne iſtud quidem ſufficiet. *M.* Non habeo, quid poſſim amplius. *G.* Quanto præſtitiſſet vivam audire Magiſtri vocem? *M.* Multo ſane præſtiterat: Sed quando id mihi non contigit, nec mea culpa factum eſt, nihil habeo, quod me accuſem hac in parte. *G.* Recte dicis; fac igitur, habeas animum bonum, nam quod ego tecum pluribus verbis de hac re diſputavi, non ideo feci, quod vellem te adducere in deſperationem: Sed totum illud factum eſt ex meo in te amore ſingulari. *M.* Haud mihi dubium eſt, quo fit, ut majorem tibi habeam gratiam. *G.* Sed ecce! vocat nos ad cœnam tintinnabulum. *M.* Nuncius opportunus.

COLLOQ. XVI.

Vacationis terminus. Vindemia. Didactorum importunitas. Præfectus operarum. Vini, pomorum proventus.

JOHAN-

JOHANNES. PETRUS.

SAlve Petre! *P.* Johannes auſpicato advenis; O valesne bene? *J.* Optimè, gratia DEO! tu vero, ut vales? *P.* Recte ſane, DEI beneficio. Sed quando rediiſti domo? *J.* Nudius tertius. *P.* Bene habet, opportune veniſti. *J.* Nempe ſciebam inſtare vacationis terminum. *P.* Placetne, ut otiosè aliquandiu confabulemur? *J.* Maxime: dummodo ſemoti ſimus ab hac turba clamoſa ludentium. *P.* Bene mones, ſecedamus in auditorium illud, quod eſt apertum. *J.* Quam apte hic ſedemus! age loquamur libere. *P.* Suntne peractæ veſtræ vindemiæ? *J.* Omnino. *P.* Quantum temporis poſuiſtis in toto opere? *J.* Dies circiter quindecim. *P.* Tu igitur ſemper interfuiſti? *J.* Nullum intermiſi diem. *P.* Quid agebas? *J.* Uvas ſæpius colligebam. *P.* Ad verbum colligebam debuiſti aliquid addere. *J.* Quidnam quæſo? *P.* Et edebam. *J.* Quid opus fuit? de hoc nemo dubitare poteſt, quis enim fructus bonos & maturos legit, quin edat etiam ex optimis? *P.* Profecto recte loqueris. Euge! reſponſum laudo. *J.* Jamne putabas, os occluſiſſe mihi? *P.* Iſtud ne cogitavi quidem. *J.* Quid igitur? *P.* Non expectabam tam promptum, tamque prudens reſponſum. *J.* Nihil eſt, quod mireris, nam, ut eſt in proverbio,

Sæpe etiam eſt olitor verba opportuna loquutus.

P. Cui debes hoc proverbium? *J.* Magiſtro Hermanno: Is enim dictat nobis interdum proverbia

Digitized by Google

verbia ejuſmodi, & pulchras ſententias ex bonis auctoribus. *P.* Optimè vobis conſulit: ſed quibus horis id ſolet facere? *J.* Nonnunquam a cœna: ſæpius autem, quum in auditorio nihil habemus reddere. *P.* Utinam ſic omnes facerent! dummodo non eſſent impedimento quotidianis ſcholæ exercitationibus. *J.* Bene ſubjunxiſti iſtam exceptionem per adverbium: Dummodo. Sunt enim quidam pædagogi, qui ſuis dictatis & privatis lectionibus ſic onerant pueros ſuos, ut non poſſint in ſchola ſatisfacere. *P.* Inde fit, ut ipſi Præceptores interdum conquerantur de talibus Pædagogis. Sed quid agimus? redeamus ad ſermonem inſtitutum. *J.* Placet. *P.* Fuiſtine ſemper occupatus in uvis colligendis? *J.* Opus illud paucis diebus abſolvitur: propterea, quod magnus operariorum numerus ad id conduci ſolet. *P.* Quid deinde fit? *J.* Calcantur uvæ: vinum hauritur è cupis majoribus: eadem opera diffunditur in dolia: deinde uvæ ipſæ nondum expreſſæ ſubjiciuntur prelo in torculari: poſtremo exportantur & abjiciuntur vinacea. *P.* Atqui non curabas iſta? *J.* Immo curabam aliqua ex parte. Nam agendis omnibus intereram maximè, ut ſollicitarem operarios. *P.* Eras ergo illis tanquam præfectus, & quaſi magiſter operum? *J.* Immo etiam revera magiſter operum & præfectus: Pater enim me præfecerat. *P.* Quam gaudebas iſto miniſterio, quam pulchrum erat videre te cum tua gravitate aliis imperantem, alios adhortantem,

Digitized by Google

tem, alios denique arguentem? *J.* Profecto ſi vidiſſes me, dixiſſes alium eſſe, quam in ſchola diſcipulum. *P.* Ut video, non eras otioſus. *J.* Immo ut bonus paterfamilias adhibebam ſæpenumero manus operi, ut ipſos operarios meo exemplo inſtigarem. *P.* Non abs re, ut apparet, pater te huic muneri præfecerat. *J.* Nempe aliis in rebus expertus erat meam diligentiam. *P.* Abſit tamen verborum jactantia. *J.* Ego ſic intelligo; ſed libere ſic loquor, quia cum familiari meo. *P.* Sed pergamus. Quanta eſt vobis vini copia? *J.* Mediocris, qualis ferè hoc anno ubique eſſe dicitur: tametſi vinum rubrum habemus affatim, album non item. Verum quicquid eſt, contenti ſumus, & de manu Domini cum gratiarum actione recipimus. *P.* Quot implevistis dolia? *J.* Plus minus quadraginta: ſed ſunt alia aliis majora. *P.* Papæ! non tibi videtur magnus proventus? *J.* Satis quidem: ſed non ratione anni ſuperioris. *P.* Quid refert? Quanto minor eſt quantitas, tanto etiam pluris vendetur. *J.* Sic fere ſolet evenire. Sed nonne tibi videor ſatis narraſſe de vindemiis? Quid præterea deſideras? *P.* Quoniam ſic abundamus otio, volo etiam aliquid ex te audire de fructibus arborum: Eſt enim quaſi altera vindemia. Nonne habetis multos? *J.* Plena tabulata, quæ eſt DEI benignitas. *P.* Quando collecti ſunt? *J.* Quo tempore vinum faciebamus, familia colligebat. *P.* Quæ ſunt vobis ejuſmodi fructuum genera? *J.* Mala, pira, caſtaneæ,

neæ, juglandes: ſed malorum & pirorum multa eſt varietas. *P.* Quid cotonea? non etiam habetis? *J.* Immo habemus, ſed ea ſub malorum genere continentur, unde & alio nomine appellantur mala cydonia. *P.* Quid autem attuliſti huc rediens? *J.* Nihil, niſi quaſillum uvarum ſelectarum. Sed ſingulis poſthac hebdomadibus mihi afferentur plenis ſaccis, mala, pira, caſtaneæ. *P.* Interea da mihi, quæſo, aliquot ex uvis tuis. *J.* Eamus in cubiculum meum, illic dabo tibi. *P.* Equidem paratus ſum, eamus. *J.* Illic etiam agemus de repetendo ultimo in diem Lunæ colloquio. Nam, ut opinor, id Præceptor inprimis exiget.

COLLOQ. XVII.

Patris ſolicitudo de filio. Virga diſciplinæ. Pœna etiam injuſta ferenda.

EUSTACHIUS. BRANDANUS.

AUdivi patrem tuum veniſſe hodie in Gymnaſium. *B.* Verum audiviſti. *E.* Qua venerat gratia? *B.* Ut pro meis alimentis Præceptori numeraret pecuniam, ſimul & me illi commendaret. *E.* Nunquam te commendarat? *B.* Immo ſæpiſſime. *E.* Quid ſibi vult iſta commendatione tam frequenti? *B.* Amore vero me proſequitur. *E.* Quid tum? *B.* Ideo cupit me diligenter erudiri. *E.* Quid ſi commendet, ut ſæpius vapules? *B.* Ea eſt fortaſſe cauſa: ſed quid inde? non propterea me diligit minus. *E.* Unde iſtud colligis? *B.* Quia puero tam neceſſaria eſt correctio, quam alimentum. *E.* Ve-

rum quidem dicis, ſed pauci ita judicant. Nemo enim eſt, quin panem quam virgam malit. *B.* Illud eſt naturale omnibus; quis neget? Sed tamen patienter ferenda eſt pœna, præſertim juſta. *E.* Hæc habetur in libello morali ſententia:

Quod merito pateris, patienter ferre memento.

Sed quid ſi pœna ſit injuſta? *B.* Ea quoque patienda eſt nihilominus. *E.* Cujus cauſa? *B.* Propter JEſum Chriſtum, qui mortem injuſtiſſimam, eamque acerbiſſimam tulit pro peccatis noſtris. *E.* Utinam id nobis in mentem veniret, quoties aliquid patimur! *B.* Præceptor id nos ſæpe monet, quoties occurrit occaſio. Sed ſurdis narratur fabula, ut eſt in proverbio. *E.* Ergo demus operam, ut ſimus poſthac diligentiores. *B.* Ita faxit DEus.

COLLOQ. XVIII.

Divinis humana poſtponenda, etſi vulgo contra fit.

GOTSCHALCUS. THOMAS.

CUr non interfuiſti hodiernæ concioni? *T.* Occupatus eram in ſcribendis literis. *G.* Non poteras differre negotium? *T.* Urgebat tabellarii feſtinatio. *G.* Atqui Præceptor docet nos, omnia poſtponenda eſſe DEI negotiis. *T.* Docet quidem, neque id mihi dubium eſt: ſed nunquam ſumus adeo perfecti, quin ſæpe DEum terrenis iſtis poſtponamus. *G.* Iſtud malum. *T.* Peſſimum vero, ſed ſemper homines ſumus, niſi DEus nos Spiritu immutaverit. Sed dic, quæſo, fuitne frequens auditorium? *G.* Non admodum, pro more ſolito. *T.* Unde fit iſtud? *G.* Igno-

Ignoras populum nunc eſſe occupatum in vindemiis? *T.* Non ignoro; ſed non poſſunt homines divinis rebus unicam horam impendere? *G.* De hoc non eſt meum reddere tibi rationem; hoc tantum dico: Turpe eſt Doctori, quum culpa redarguit ipſum. *T.* Papæ, quantum colaphum impegiſti mihi! vale: Verbum non amplius addam. *G.* Eſto igitur alias prudentior.

COLLOQ. XIX.

Vacationis tempus ægre expectatur. Eventus in DEO. Signum cœnæ.

MARSILIUS. CORNELIUS.

TU igitur cras, ut audio, diſceſſurus es? *C.* Cras, ſi Dominus permiſerit. *M.* Eho! Cur tam cito? *C.* Urget me pater. *M.* Immò tu urges patrem. *C.* Itane tibi videtur? Quomodo patrem urgere poſſum? *M.* Aſſidua miſſione literarum. *C.* Tantum ſemel ſcripſi, inſtare vacationem ſcholaſticam. *M.* Quando miſiſti literas? *C.* Hebdomade ſuperiori. *M.* Quo die? *C.* Veneris. *M.* Quid facies domi? *C.* Inſtat vindemia, interim colligendi ſunt fructus arborum. *M.* Poteras expectare dimiſſionis diem. *C.* Neſcio, quando ſit futurus. *M.* Spero fore ad finem proximæ hebdomadis. *C.* Sed iſtud non eſt in noſtro ſitum arbitrio. *M.* Ne in Præceptoris quidem. *C.* Cujus igitur? *M.* Solius DEI, qui hominum conſilia ſuo nutu gubernat. *C.* Atqui Satanas videtur interdum gubernare? *M.* Quantum DEus ipſi permittit. Sed iſta ſapientioribus relinquamus. *C.* Tutius eſt: Monet

Digitized by Google

enim proverbium: Ne ſutor ultra crepidam. *M* Sæpe iſtud ex Præceptore audivimus. *C.* Idem quoque non ſemel docuit nos illam Pauli ſententiam: Noli altum ſapere, ſed time. *M.* Iſtud etiam frequenter habet in ore: Altiora tu ne quæſieris. *C.* Sed audin tu ad cœnam ſignum dari? *M.* Adhuc pulſat aures meas tintinnabulum. *C.* Eamus in aulam, ut interſimus precationi. Cras ante diſceſſum te ſalutabo.

COLLOQ. XX.

Luſus juglandium. Patientia in parvis. Providentia DEI. Memoria quomodo exercenda? Officia ſedulitatis ſcholaſticæ.

PROCHORUS. CHRYSOSTOMUS.

QUo ludi genere te hodie exercuiſti? *C.* juglandium. *P.* Ecquid lucri feciſti? *C.* Immo perdidi. *P.* Fortuna igitur tibi adverſa fuit? *C.* Neſcio, quæ fortuna: tantum ſcio mea culpa id accidiſſe, ſed ita volente DEO. *P.* Cur DEus id voluit? *C.* Ut hinc diſcam ferre graviora, quum acciderint. *P.* Quaſi vero DEus luſiones puerorum curet. *C.* Curat profecto. Quin etiam nihil fit in rerum natura ſine divina providentia. *P.* Siccine philoſopharis? Quisnam te iſta docuit? *C.* Non tute audiſti ſæpe ex Concionatore noſtro? *P.* Fieri poteſt, ut audierim: ſed quid agas? fluxa eſt mihi memoria. *C.* Nimirum, quia illam non exerces. *P.* Quomodo exercenda eſt? *C.* Primum diligenti attentione: Hoc eſt, diligenter advertendo ad ea, quæ audimus, aut legimus; deinde eadem ſæpe repetendo: denique docen-

docendo alios ea, quæ didicimus. *P.* Iſta nobis ſæpius inculcantur à Præceptore; ſed me miſerum, quam ſupina eſt hæc mea negligentia! *C.* Sic ſumus omnes, niſi Spiritus ille DEI nos excitet. *P.* Quid igitur faciam? *C.* Expergiſcere, mi Prochore, toto animo, totisque viribus ad DEum aſpira, illum aſſidue & pio affectu precare, vigilans eſto, pravos fugito, verſare cum bonis, tum moribus facillimis effice, ut eos tibi familiares reddas. *P.* Quid tandem conſequar? *C.* Rogas? Si te iſtis moribus aſſuefeceris, Dominus DEus ſua clementia tui miſerebitur, brevique animum tuum immutatum ſenties. *P.* O quam opportunus hic mihi congreſſus fuit? Obſecro te, mi Chryſoſtome, ut ſæpius colloquamur. *C.* Per me non ſtabit, quoties utrique licebit per otium. *P.* Gratias ago maximas. *C.* Non eſt, quod agas: recipiamus nos in auditorium.

COLLOQ. XXI.

Accuſatio petulantiæ. Ignorantis excuſatio. Deprecatio. Æquitas punientis. Preces ſacræ.

ÆGIDIUS. MALACHIAS.

CUr hic diſpergebas piſa? *M.* Quando? *Æ.* Poſt prandium. *M.* Id faciebam animi causâ. *Æ.* Sed piſa illa unde habueras? *M.* Acceperam è conchula, ubi repoſita erant, ut craſtino die coquerentur. *Æ.* Debuiſtine animi causâ malum facere? *M.* Non putabam id eſſe malum. *Æ.* Annon eſt malum, conculcare panem pedibus? *M.* Iſtud ego nollem facere. *Æ.* Cur nolles? *M.* Quia panis eſt nobis maxime neceſſarius. *Æ.* Et ipſa

ipſa piſa, & cætera, quæ eduntur, DEus in uſum noſtrum creavit. *M.* Non ignoro: quin etiam ipſis libenter veſcor, ſi bene cocta & condita ſint. *Æ.* Præterea vellesne abuti rebus tuis? *M.* Minime. *Æ.* Tanto minus alienis debes. *M.* Iſtud ſatis intelligo. *Æ.* Ergo non recte feciſti? *M.* Non recte, fateor: Non tamen animo malo. *Æ.* Cur igitur feciſti? *M.* Mea ineptia me ad illud incitavit. *Æ.* Quid inde meruiſti? *M.* Plagas. *Æ.* Recte dicis: ſed opinor, non ex animo. *M.* Immo certe: ne me accuſes, oro. *Æ.* Quandoquidem ſponte fateris, non accuſabo. Sic enim velle ſe dixit Præceptor ſæpiſſime. *M.* Quid ille dixit? *Æ.* Ut de rebus ejusmodi levioribus neminem ad ipſum deferamus, qui modo culpam libens agnoverit. *M.* Iſtud ergo beneficium tibi debeo, mi Ægidi. *Æ.* Nihil velim mihi debeas hoc nomine, ſed mecum precare DEum, ut à malo nos liberet. *M.* Quotidie in ſchola quater aut quinquies palam precamur. *Æ.* Quid tum? *M.* Præterea privatim, quoties cubitum itur, quoties cubitu ſurgitur. Nonne ſatis hæc ſunt? *Æ.* Præter illa ſæpe monet Præceptor, ut interdum pro ſe quisque precandi cauſa ſecedat aliquò in ſecretum locum: meminiſtin? *M.* Memini probe: Sed, ut ſcis, difficile videtur eſſe, ut pueri ſecretis precibus aſſueſcant. *Æ.* Et tamen paulatim aſſueſcere optimum fuerit. *M.* Progreſſu temporis DEus ipſe noſter ad eam rem nos incitabit atque aſſuefaciet. *Æ.* Ita fore ſperandum eſt: ſi tamen verbi ejus

tum

tum lectionem tum auditionem ſedulo proſequamur.

COLLOQ. XXII.

Convivium magnificum: Convivæ: Accubitus: Epulæ variæ: Bellaria: Leges ſumptuariæ: Vina: Gratia: Diſceſſio.

VICTORINUS. CASSIODORUS.

QUid eſt, quod hodie tam cito à patruo redieris, præſertim, quum fuerit convivium? *C.* Quid illic feciſſem diutius? *V.* Cœnam expectaſſes, ut ederes de prandii reliquiis. *C.* Satis ederam in prandio. Præterea juſſit patruus, ut domum reducerem Præceptorem, quem ego ad convivium deduxeram. *V.* Quid facit tuus patruelis? Cur in ludum vobiſcum non rediit? *C.* A matre retentus eſt in unum vel alterum diem. *V.* Quamobrem? *C.* Ut illi reſarciantur veſtimenta. *V.* Illa eſt mulierum cura. Sed age, quoniam nunc otioſi ſumus, narra mihi, quæſo, aliquid de convivio. *C.* Quid de illo ſcire cupis? *V.* Primum, qui convivæ fuerint; deinde quam lautum & opiparum convivium. *C.* Convivæ fuerunt hi præcipui: quatuor conſules, præfectus urbis, & alii duo primæ notæ è Senatorum numero. *V.* Noſtine? *C.* De facie equidem: ſed eorum non teneo nomina. *V.* Nulline præterea? *C.* Duo item ex patrui mei familiaribus. *V.* Quotus accumbebat Præceptor? *C.* Quotus eſſet, non obſervavi; ſed erat in media fere menſa, ex adverſo mei patrui. *V.* Tu vero? *C.* Hui inepte, quid iſtud rogas? Ergone homunculus

Digitized by Google

cum tantis viris epularet? Satis hoc mihi honorificum fuit, quod miniſtrarem. *V.* Nullæne erant mulieres? *C.* Nullæ præter uxorem patrui, quæ quidem ſedebat in menſa extrema. *V.* Quid ita tam remota? *C.* Sic voluit ipſa, ut identidem commodius ſurgeret, propter ordinem miniſterii. *V.* Quid filius? *C.* Juxta matrem aſſidebat. *V.* Habeo de convivis: nunc expecto de convivio. *C.* Onus mihi valde magnum imponis ac difficile, maxime propter memoriam: ſed quando, ut dixiſti, pluſculum otii nacti ſumus hoc pomeridiano tempore, dabo equidem operam, ut aliqua ex parte expleam deſiderium tuum. *V.* Pergratum mihi feceris. *C.* Ea tamen lege, ut par pari referas, ſi quando dabitur occaſio. *V.* De hoc nihil eſt, quod dubites: incipe. *C.* At ego interea ſedere volo, quia longa eſt narratio. *V.* Eamus ſub pergulam, ut in umbra commodius fabulemur. *C.* Audi nunc jam. *V.* Quia, ut ais, longa eſt narratio, dic mihi primum, quota horâ accubitum eſt? *C.* Fere decima. *V.* Quota ſurrectum? *C.* Paulo ante meridiem. *C.* Sedebantne omnes commode? *C.* Commodiſſimè. *V.* Nunc ad rem aggredere? *C.* Accipe igitur menſæ præludia. *V.* Appone, quum voles. *C.* Imprimis appoſita ſunt tenella cruſtula mellita operis piſtorii cum aromate. *V.* Optimum ſane exordium, & ad conciliandos animos aptiſſimum. *C.* Omitte, quæſo, iſtas interpellationes, ne mihi perturbetur memoria. *V.* Poſthac non interpellabo, niſi quid opus erit requi-

requirere. *C.* Sequutæ ſunt pernæ ſalitæ, hilla infumata, lucanicæ, linguæ bubulæ, ſale quoque & fumo induratæ. Atque hæc ad excitandam appetentiam & ſitim acuendam. *V.* Quaſi vero non ſatis acueretur ſolis æſtu & fervore. *C.* Sic docti ſolent facere convivatores. *V.* Iſthæc audio libenter, præſertim quum exprimas omnia propriis & ſignificantibus verbis. Perge porro. *C.* Eodem ordine interpoſita ſunt acetaria è lactucis capitatis, avium inteſtina frixa, minutalia ex vitulina cum ovorum vitellis integris. Et hæc hactenus de præludiis, qui miſſus primus fuit. *V.* Nihil interim bibitum eſt? *C.* Indigna homine quæſtio, quis enim vino hic parceret? vix tres, & quidem ſtrenuiſſimi, fundentibus potibus ſufficiebamus: ſed de potibus agam poſterius; ſine me cibos expedire. *V.* Age, ſino. *C.* In ſecundo miſſu hæc ferè fuerunt: artocreas, pulli gallinacei elixi cum lactucis, bubula, vervecina, vitulina, ſuilla recens ſalſa, jus carneum, ovorum vitellis, croco & omphacio ſuaviſſime conditum, aliquot item juſcula ex oleribus. *V.* Hic plus opinor fabulatum, quam eſum fuiſſe, quia ſcilicet aſſa expectabantur. *C.* Vix menſam attigerant, quum illa tollere juſſi ſumus. Venio igitur ad tertium miſſum, in quo aſſa hæc fuerunt expoſita: pulli gallinacei, pulli columbini, anſerculi fartiles & ſucculi, item cuniculi, armi vervecini: poſtremò ferina duorum generum, opere piſtorio incruſtata. *V.* Quid præ-

 tereà?

tereà? *C.* Quid? Hem! penè prætermiſi: duæ perdices interjectæ cum lepuſculo, fabæ virides frixæ, & piſa cocta cum ſiliquis. *V.* Nihilne piſcium? *C.* In tempore admones. Erat trutta ingens, quæ diviſa fuerat in partes quatuor, præter caudam, prægrandis item lucius, ad eundem modum quadripartitus; taceo minutos piſces & mediocres, partim elixos, partim aſſos & frixos, item cancros fluviatiles, magno omnia numero; ſed hæc magis ad oſtentationem, quam ad neceſſitatem: De iis enim fere nihil guſtatum eſt. *V.* Unum mihi videris prætermiſiſſe. *C.* Quid iſtud eſt? *V.* Nulline erant intinctus? *C.* Imo ſingulis propemodum ferculis addita erant ſcitiſſimi ſaporis embammata, quæ coquus ipſe miro àrtificio concinnaverat. Nec vero defuerunt capparides ex oleo & aceto, mala citrea, olivæ conditæ cum ſua muria, acetum roſaceum, & ſuccus oxalidis. *V.* O quot & quanta gulæ irritamenta! *C.* Adde etiam corporis & animi impedimenta! *V.* Sed quis, quæſo, fuit ultimus actus fabulæ? *C.* Tandem, quum jam nec carnes, nec piſces ullus ederet, jubet patruus apponi bellaria, in quibus hæc fuerunt præcipua: caſeus recens pinguiſſimus, itemque vetus multiplex, ſcriblitæ, placentulæ, oryza in lacte cocta & bene ſaccharata; Perſica præcocia, ficus, ceraſa, uvæ paſſæ, cariotæ, tragemata ſerotina, ſalgama multorum genera, & alia, quæ nunc mihi non occurrunt. Tanta denique fuit omnium eſculentorum affluentia, ut menſa

menſa ipſa vix ſuſtineret. Quid quæris? quater aut quinquies mutati ſunt orbes & quadrulæ. Cibos craſſos & duriores magna ex parte integros in culinam referebamus: adeo pauci attingebant propter delicatiorum copiam. *V.* Quid confert tanta cibariorum abundantia & diverſitas? *C.* Ad gravandum ſtomachum, & morbos complures generandos. Sed quid agas? Sic fere hoc tempore vivitur. *V.* Qui talibus viris convivia faciunt, certare videntur de copia, de apparatu, de ſplendore, de lautitia. *C.* Et tamen exiſtunt inter hujus civitatis leges quædam, ut audivi, ſumtuariæ. *V.* Silent leges inter convivia; ut obiter è Cicerone detorqueamus aliquid. *C.* An putas, omnes convivas illa ſumtuum immanitate delectari? *V.* Non puto, niſi forte ſint lurcones, aut aſoti, aut apiciani, ut ita dicam, ventricolæ. Cæterum quid eſt in cauſa? *C.* Rogas? Convivatorum non modo ſtultitia, ſed etiam inſania. *V.* Maxima pars hominum morbo jactatur eodem; ut ait Horatius. *C.* Sed nos hanc cenſuram omittamus, juxta proverbium: Ne ſutor &c. *V.* Redeamus igitur ad propoſitum. Quale vinum appoſitum eſt? *C.* Si de colore quæris: album, nigrum, fulvum, ſanguineum, deque ſingulis coloribus vina multiplicia. Si de bonitate, omnia fere generoſiſſima, ſed inprimis commendabant iſtud vini genus transrhenanum, (Anſeris à rubro quod pede nomen habet) deinde illud quoque & quidem magis, quod vocant Fürſtenber-

bergicum, ſeu Vallenſe, ſeu Bacharaceum. *V.* Unde hoc petebatur? *C.* E patrui cella vinaria. *V.* Habetne multum ejusmodi? *C.* Duos cados. *V.* Quis fuit prandii exitus? *C.* Ubi videt patruus, convivas omnes penè defeſſos edendo, bibendo, colloquendo, tunc vinum fundi jubet ſingulis, omnes ad extremum potum invitat. Hinc ordine tolluntur omnia: inſternuntur menſis latiora mantilia ex lino tenuiſſimo: datur aqua odorifera manibus leviter abluendis. Ego & patruelis de more DEO gratias agimus: Ipſe vero patruus clara voce agit univerſo cœtui. Tandem primus conſul convivarum nomine, ſatis accurato ſermone publicas agit convivatori, ſimul objurgat eum, quod tam magnifico & ſumtuoſo apparatu convivatus fuerit. Immo, inquit patruus, mihi, quæſo, ignoſcite, quod vos pro dignitate non ſatis ampliter tractaverim. His dictis, ſurgunt è menſa univerſi: magna pars valedicens ſtatim diſcedit: cæteri manent ſtantes & colloquentes in aula. *V.* Quid vos interea, qui miniſtraveratis ad menſam? *C.* In culinam ad prandium nos recepimus, corpus illic otioſe & ex animi ſententia curavimus. *V.* Ubi erat interim Præceptor? *C.* Patruus illum ſeorſim vocaverat ad colloquium. *V.* Credo, ut te & filium ſuum de meliore nota commendaret. *C.* Iſtud eſt veriſimile. *V.* Neſcis, quæ fuerit cauſa tanti convivii? *C.* Quid mea ſcire refert? *V.* Tanto minus igitur mea. *C.* Recte colligis, & ſic expectabam. *V.* Atqui non ſum Dialecticus.

C. Tibi

C. Tibi eſt naturalis Dialectica. *V.* Eandem habent & ruſtici. *C.* Sed age, dic mihi ſerio, non ego te tractavi magnifice? *V.* Tali convivio nunquam interfueram. *C.* Gaudeo ſtomacho tuo ſatis eſſe factum. *V.* Eſt DEO gratia, qui dedit nobis otium tam jucundum. *C.* Surgamus tandem: Nam audio pueros à luſu diſcedere.

COLLOQ. XXIII.

Verſificatio. Merenda. Pauperum cura. Materna largitas. Divinatio. DEI laudatio. Veracitas. Maturatio non eſt feſtinatio. Proprietas verborum diſcenda à teneris. Aqua è puteo. Urina.

PHILOLOGUS. POLYCARPUS.

Tityre, qui patulæ reſides ſub tegmine mori:
Tune hic ſolus eris tam lentus, tamque ſupinus?
Pol. O Melibœe, DEUS nobis hæc otia fecit.
Ille DEUS magnus, qui noſtrum fecit in uſum
Omnia, dans propriam cunctis animalibus eſcam,
Qui mare, qui terras, & quod tegit omnia, cœlum,
Condidit; ille Opifex rerum, qui ſummus habetur.
Phil. Carmina mitte loqui: Nunc me liquere Camœnæ.
Eſt mihi mens alibi: cupio certare merenda.
Pol. Sed tamen hac mecum poteris reſidere ſub umbra.
Namque hic (ut cernis) locus eſt ſatis amplus utrique.

Phil.

Phil. Mittamus ergo verſiculos, & merendas noſtras conferamus. *Pol.* Per me non ſtabit, ſcrutemur peras: age, explica tuam. *Phil.* Expecta parumper. Dic mihi prius: quid habes in merendam? *Pol.* Panem. *Phil.* Quaſi vero ſine pane merenda eſſe ſoleat. *Pol.* Ne panem quidem pauperes ſemper habent. *Phil.* In tempore admones, ponendæ erunt reliquiæ noſtræ in eorum corbulam. *Pol.* Quid ſi reliquiarum nihil fuerit? *Phil.* Saltem reſtabit panis, & hoc ſatis erit. Sed dic tandem, nunquid habes obſonii? *Pol.* Etiam dubitas? Mater mea nunquam committeret, ut me in ſcholam mitteret ſine aliquo obſonio. *Phil.* Dic ergo, quid eſt? *Pol.* Divina? *Phil.* Non ſum vates: nec velim hanc merendæ horam in nugis terere. *Pol.* Saltem periculum facies, quam valeas conjecturis: qua de re jam aliquid in Rhetoricis audivimus. *Phil.* Aut caſeus, aut caro eſt reſidua ex prandio. *Pol.* Neutrum. *Phil.* Dic ſodes, ut accingamus nos operi. *Pol.* Ne te diutius torqueam, ſunt pira præcocia. *Phil* Ain tu? res nova: nondum hoc anno videram. *Pol.* Vide nunc. *Phil.* Quam matura ſunt! *Pol.* Cur non addis etiam quam bona? *Phil.* Sed nondum guſtavi. *Pol.* Satis acute me reprehendis! accipe & guſta. *Phil.* Papæ! quam mitia, quam boni ſucci! *Pol.* Nonne merito maximas gratias agere debemus DEO noſtro, tam benigno Patri, qui nobis indignis tot bona tam varia largitur? *Phil.* Qui non facit, is eſt profecto ingratiſſimus. *Pol.* Agedum veſcamur bonis ejus cum gaudio & gra-

gratiarum actione. *Phil.* Jamdudum eſurio. *Pol.* Sed nullum habes obſonium? *Phil.* Vide fruſtum craſſum vetuſti caſei. *Pol.* Edamus primum pira; caſeo claudemus ſtomachum. *Phil.* Sed maturemus, ne forte hora nos opprimat. *Pol.* Neutrum ceſſare video. Certe, quod ad me pertinet, non queo comeſſe citius. *Phil.* Ne tamen ita devores porcorum more. Ecquid pudet? *Pol.* Quia dicebas eſſe feſtinandum. *Phil.* Maturemus dixeram; non autem feſtinemus. *Pol.* Ego non adeo ſcrupuloſe inter hæc verba diſcrimen facio. *Phil.* Vult tamen Præceptor, ut proprie loquamur, quantum per ingenii captum licebit. Nam bene loquendo, bene etiam ſcribere condiſcimus. *Pol.* Contra diligenter ſcribendo conſueſcimus etiam recte loqui. *Phil.* Hæc duo inter ſe conjuncta ſunt. Sed heus! otioſe (inquam) edamus, ſatis habemus temporis. *Pol.* Nonne tota hæc hora ad merendam libera eſt? *Phil.* Hodie quidem libera: ſed tamen deſinamus, ne panis deficiat nos, & nihil reliqui fiat pauperibus. *Pol.* Eamus ergo ad puteum, ut aliquantum potemus. *Phil.* Hem verborum proprietate ſemper abuteris. Iſtud bibere eſt, non potare. *Pol.* Quod mihi non parcas, habeo ſane gratiam. Ex prava inſtitutione prima hæc vitia contraxi. *Phil.* Veriſſime igitur Quintilianus dixit: Hæc ipſa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora ſunt. Meminiſti? *Pol.* Memini, ſed interim juva me, ut hauriamus aquam è puteo. *Phil.* Enitere validius, nimium me laborare ſinis.

nis. *Pol.* Tanto bibes jucundius. *Phil.* Bibitum ſatis eſt; recipiamus nos in aulam, ut precationi interſimus, & actioni gratiarum. *Pol.* Tu præcede, dum urinam illuc eo redditum.

COLLOQ. XXIV.

Cura & cultura corporis ac veſtitus mundities. Pannus lacer, pudor ruſticus. Pudor turpis indigenti.

LEONHARDUS. PANTHALEON.

DEmiror tuam negligentiam. *P.* Qua in re tandem? *L.* Quod te non curas diligentius. *P.* Ego vero me curo fortaſſe nimis. Satis edo, bibo, dormio, quæ eſt DEI erga me benignitas! præterea pecto capillos, lavo manus, faciem, dentes, oculos, & hæc mane præcipue: quin etiam, quum tempus poſtulat, corpus exerceo: relaxo animum, & ludo cum cæteris. Quid vis amplius? *L.* Mittamus iſta, non ea ſunt, quæ in te reprehendo. *P.* Quid igitur? *L.* Circumſpice veſtimenta tua à calce ad verticem, nihil integrum invenies, omnia ſunt lacera & obſoleta. Iſta profecto nequaquam veſtrum genus decent. Si ſaltem curares veſtitum tuum ſarciendum, aut quoquo modo inſtaurandum. *P.* Loqueris tu quidem, quæ libet; quod ſi parentes haberes tam procul remotos, fortaſſe non eſſes elegantior. Si mihi pecunia ſuppeteret, non paterer, me usque adeo pannoſum eſſe. *L.* Nec ideo tamen cares negligentia. Cur enim non petis aliunde mutuo. *P.* Unde peterem? *L.* Si non aliunde, certè à Præceptore poſſes. *P.* Quid ſi dare nollet? *L.* Nemini denegat ex diſcipulis dome-

domeſticis, ſi quidem videt opus eſſe. *P.* Id ego non ignoro; ſed ſum verecundior, quam ut audeam ab eo petere. *L.* Ah! ruſticus eſt iſte pudor. *P.* Malo tamen verecundus eſſe, quam impudens. *L.* Verecundia, ut dixit quidam, eſt bonum in adoleſcente ſignum; ſed ubique adhibenda eſt mediocritas. *P.* Ego eo ſum ingenio, ut ſemper verear offendere quempiam. *L.* Ingenium laudo; ſed eſt modus in rebus. Nam ille offendendi metus habere locum docet in rebus turpibus aut certe indecoris: hic vero nihil tale video. Eſt enim uſitatum in hominum ſocietate, ut alii aliorum opera indigeant. Quis igitur mihi vitio dabit, ſi quid ab amicis aut commodato petam, aut mutuo? *P.* Nemo reprehendet, niſi forte rebus ejusmodi abuti velis. *L.* Tu vero quantum ego te novi, abuti nolles? *P.* Apage iſtum abuſum. *L.* Quid ergo jam obſtat, quo minus petas? præſertim ab homine facillimo, tuique, ut apparet, amantiſſimo? *P.* Age petam, ſed per epiſtolium, quod ut reddas, tibi dabo. *L.* Reddam profecto libentiſſime, teque illi commendabo diligenter. *P.* Equidem non parvam tibi gratiam habeo, quod me tanti feceris, ut ad hanc fiduciam hortarere. *L.* Nunc reſtat, ut ſcribas, quod dicis epiſtolium: reliqua mihi committas, *P.* Benevertat DEus, quod cœpimus. *L.* Ne dubites, res proſpere ſuccedet.

COLLOQ. XXV.

Simulatio. Seria oratio. Liberalitas cogi non vult. Scholarum peſtes, calumniæ & improbi pueri.

Præceptoris convictus commoditas. Latinæ locutionis pulchritudo. Calumnia disciplinæ. Præceptoris ſeveritas & comitas. Diſciplinæ ratio. Valedictio nocturna.

CLAUDIUS. QVIRINUS.

NEſcis, quid mihi his diebus in mentem venerit? *Q.* Quid iſtud, quæſo? *C.* Cogito in Gymnaſium me recipere. *Q.* Quid, in Gymnaſium? habitandi cauſa? *C.* Non ut inquilinus habitem, ſed ut vobiſcum vivam in menſa Præceptoris. *Q.* Utinam iſtud ex animo & verè diceres! *C.* Ex noſtra mutua conſuetudine atque amicitia deberes ſatis intelligere, me nihil apud te neque ſimulare, neque diſſimulare ſolere. *Q.* Plane iſtud jampridem intelligo: ſed audito ex te iſto verbo, me rapuit affectus in eam exclamationem, ita prorſus oblitus eram mei. *C.* Non aliter dictum tuum accipio: ſed ad rem. Pater quidem non cogit me, ſed ex vultu & verbis ejus ſatis video, id illi placere maxime. *Q.* Nempe hoc iſtud eſt, novit pater tuus, vir prudentiſſimus, liberalia ingenia cogi nolle, duci facile. Sed tamen non dubito, id fieri divini inſtinctu Numinis. Tu vero quid judicas? *C.* In eadem ſum ſententia: Præſertim quum ego quoque in eam partem ſponte propendeam. *Q.* Magnum argumentum, iſtud eſſe ex DEO conſilium. *C.* Id ego crediderim: Nam qui ad rem coguntur à parentibus, fere quærunt ſubterfugia, quibus detrectent imperium. *Q.* Ego, ut fatear ingenue, aliquando idem in me ſum expertus, ante ſcilicet, quam ingreſſus eſſem. Quid enim cenſes? Audie-

Audiebam ex iſtis Satanæ mancipiis tot maledicta tum de Præceptore, tum de diſciplina, ut mihi viderer carcerem aut piſtrinum ingredi verius, quam Gymnaſium. Quod ſi tu quoque in aliam ejusmodi peſtem incidiſſes? Non dubium eſt, quin manibus pedibusque obnixe conatus eſſet te abſterrere ab iſto tam ſancto propoſito. *C.* Nemini adhuc palam feceram. *Q.* Quod mihi dicis, non eſt palam facere? *C.* Satis ſcio; ſed iſtud mihi excidit ex Terentio. Nunc pergamus ad reliqua. *Q.* Quid reſtat, niſi ut DEum preceris, & pergas naviter in ſententia. *C.* Audivi de quotidiano victu in veſtra menſa, de Præceptoris & Hypodidaſcali familiaritate in audienda prælectionum repetitione; de facilitate Præceptoris in ipſo convictu; de illo à cœna placido ſtudiorum certamine, de libertate colloquendi per otium, de honeſtis rebus, de libera inter vos reprehenſione, de his, inquam, omnibus ſatis multa narraſti mihi alias, quæ quidem valde placent omnia: mihi tamen nihil videtur utilius, quam illa perpetua Latine loquendi exercitatio. Quis enim major eſt ſtudiorum fructus? Quid honeſtius? Quid jucundum magis? præſertim, ubi alius alium ſine odio aut invidia libere reprehendat. *Q.* Quid? quod victi in earum rerum certamine pudore tantum puniuntur: victores etiam præmio donantur. *C.* Omnes denique veſtræ exercitationes vel auditu ipſo me delectant mirifice. *Q.* Quanto magis illud diceres, ſi videres iſta; ſi, dum geruntur, intereſſes. *C.* Ego, DEO volente, interero. *Q.* Utinam

nam propediem! *C.* Ita ſpero quidem: unus tamen reſtat mihi ſcrupulus, quo me facile, ſi voles, liberabis. *Q.* Faciam bona fide, ſi potero. Sed interim vide, ne nodum in ſcirpo quæras, ut antea vidimus in Terentio. Age, qui tandem ſcrupulus ille eſt? *C.* Suſpecta eſt mihi veſtra diſciplina ſcholaſtica; non quod velim ob id incepto deſiſtere: ſed ut alacrius veniam & jucundius, ubi ea de re te audiero. *Q.* Niſi tu is eſſes, qui, ut ego novi, me nec vanum, nec mendacem exiſtimes: equidem mallem de hoc omnino tacere, quam ea tibi referre, quæ ſentio. *C.* Quid ita tandem? *Q.* Quia difficile eſt, ea veriſimilia facere, quanquam alioqui veriſſima, quum de his vulgus hominum peſſima quæque dicat & judicet. *C.* Quorſum iſtud quæſo? *Q.* Nam improborum mendaciis adeo male audit noſtra diſciplina inter iſtos idiotas, ut mirum ſit, unum aliquem habitare in ſchola noſtra velle: tametſi, quod eſt opus DEI, quo pejus audimus, eo plures ad nos conveniunt. *C.* Nihil opus eſt tam longa inſinuatione, dic mihi plane omnia: ne timeas, non me abſterrebis.

Omnia percepi, atque animo mecum ante peregi.

Q. Adverte igitur animum, dicam breviſſime, quicquid alicujus eſſe momenti videbitur. Imprimis illud velim tibi perſuadeas, Præceptorem eſſe nobis multo humaniorem, quam in ſchola palam appareat: tam enim familiariter verſatur in nos, quam prudens pater ſolet inter liberos. Cur igitur, inquies, eſt palam

tam

tam ſeverus? Reſpondeo: Quia ſine tali ſeveritate, ut ex ipſo audivi, quum aliquando familiariter cuidam narraret, tanta turba ſcholaſtica, tamque variis moribus prædita, nec coërceri, nec in officio contineri poſſet. Suo enim quisque more, ſuo quisque arbitratu vellet vivere. *C.* Quin etiam miror ego mecum ſæpiſſime, tantam eſſe in tota ſchola reverentiam, tantum ſilentiùm, tantam denique modeſtiam. *Q.* Multo magis mirarere, ſi unquam vidiſſes ſcholas paganicas. *C.* Vidi aliquando, atque conſideravi diligenter: Plùs eſt ſilentii in Gymnaſio noſtro ſexcentenário, quam quadraginta puerorum, immo triginta, in iſtis ſcholis trivialibus. Sed perge, quæſo, vereor, ne ſis orator Aſianus. Jam enim incipit oratio tua quaſi longius aberrare. *Q.* Atqui etiam interpellas ipſe? *C.* Nihil extra propoſitum dixi; ſed nunc proſequere. *Q.* Vis in ſumma dicam tibi: diſciplina hæc domeſtica, licet paucis improbis odioſa videatur, bonis tamen & ſtudioſis propter utilitatem valde placet. Nam ſi domi res eſſet diſſoluta, quid nobis tutum foret contra laſcivorum & petulantium inſultus? quæ nobis quies? quæ ſtudiorum tranquillitas? Itaque diſciplina ipſa veris ſtudiorum amatoribus eſt perfugium & quaſi propugnaculum; non ſecus ac nautis portus in tempeſtate. Denique quisquis eſt inter nos pacificus, & ad rectè ſemper agendum paratus, is eſt à diſciplina tutiſſimus. Nec vero id agit Præceptor, ut nos plagis & verberibus tra-

Digitized by Google

hat ad literarum ſtudia; ſed nos potius inducere nititur his maxime rebus: honeſta & liberali tractatione, benevolentia, humanitate, facilitate morum, beneficiis, denique virtutis & ſtudiorum amore. Ex quo fit, ut major pars noſtrum ſic affecta ſit, ut illi ex animo parere ſtudeat, eum caveat offendere, eum tanquam parentem diligat, obſervet, revereatur. *C.* Alioquin diſcipulorum officio non fungeremini. *Q.* At ſunt quidam verberones, qui nec DEum timent, nec parentes, nec verbera: qui & literarum ſtudia oderunt cane pejus & angue, ut verbis utar Horatii. Talibus, inquam, ſevera interdum adhibetur diſciplina, quia videlicet neceſſitas cogit. *C.* Satis habeo. Nunc enim video, quorſum ſpectet veſtræ diſciplinæ ſeveritas: Nimirum, ut bonos mores tueatur, malos autem corrigat, aut expellat. Ego diſciplinam iſtam ſane deoſculor: tantum abeſt, ut reformidem. Te autem, mi Quirine, amo equidem de iſta loquendi libertate, qua mihi ſtimulos acriores addidiſti. *Q.* Ego vero immortales gratias ago Patri cœleſti, qui tibi mentem bonam dederit & ſincerum judicium. *C.* Vale igitur, & me, ſi Dominus permiſerit, expecta in proximam hebdomadem. Iterum vale, & inceptum noſtrum tuis precibus Chriſto commenda etiam atque etiam. *Q.* Precor tibi noctem quietam, & ſomnum placidum.

COLLOQ. XXVI.

Compotatio deprehenſa. DEI providentia. Præceptoris comitas. Jentatio publica. Pœnæ metus atque effu-

effugium. Conſilii petitio. Errantis medicina confeſſio. Deprecandi forma. Orator ad Præceptorem. Exordium ad Præceptorem.

ERASMUS. BASILIUS.

QUid eſt, quod ita te triſtem video? *B.* Me miſerum, vix ſum compos animi, ita ſum timore perculſus. *E.* Quid, inquam, iſtud eſt? *B.* Præceptor nos deprehendit. *E.* Qua in re? furtone? *B.* Ah! minime gentium. *E.* In quo igitur. *B.* In ſecreta compotatione. *E.* Indignum facinus. *B.* Heu! me miſerum! quid agam? *E.* Ah! ne te affliĉtes tantopere. Qui aderant tecum? *B.* Hilarius & Urbanus. O perditos, qui me huc impulerunt! *E.* Ubi id factum fuit? *B.* In cubiculo Hilarii, qui utinam hodie è lecto non ſurrexiſſet! *E.* Quomodo tandem deprehenſi eſtis? non erat obſeratum cubiculum? *B.* Immo erat; ſed, ut ſcis, Præceptor claves habet omnium conclavium: præterea putabamus, illum in conventum hodiernum fratrum & Eccleſiæ miniſtrorum acceſſiſſe; alioquin peſſulum obdidiſſemus oſtio. *E.* Utcunque res habet, DEO volente accidit. *B.* Sic omnino ſum perſuaſus: ſed fere ita ſolemus noſtra omnia, ſive bona, ſive mala, vel prudentiæ noſtræ attribuere, vel imprudentiæ. *E.* Qua occaſione compotationem iſtam occœperatis? *B.* Illi duo, quod ſatis noſti, non ſunt convictores. *E.* Quid tum? *B.* Domo allatæ fuerant eis ad victum, neſcio quæ cupediæ: quæ utinam in via periiſſent. *E.* Sed noluit DEus; perge. *B.* Et quia illos interdum per otium doceo,

ceo, heri poſt cœnam ad iſtas epulas me invitarant in hodiernum jentaculum. *E.* Tibi infauſtum jentaculum; Sed quid: eratne vinum? *B.* Immo plus ſatis erat vini: Habent enim vini doliola in cella Præceptoris. *E.* Quid Præceptor, ubi vos ſic epulantes vidit? annon excanduit graviſſime? *B.* Nihil prorſus commotus eſt; ſed ſubridens, volo, inquit, & ego eſſe de iſto ſympoſio, ſi placet. *E.* O moleſtum convivam: quid vos? *B.* Attoniti omnes obmuteſcimus: Nam eo dicto, ſtatim ſe proripuit. *E.* Omnia ſigna video hic eſſe peſſima. *B.* Quis ita non judicet? *E.* Oportet Præceptorem alicunde rem olfeciſſe. *B.* Suſpectus eſt mihi quidam, qui nos indicaverit. *E.* Quem ſuſpicaveris? *B.* Dicam tibi poſt rei exitum. *E.* Quod invenietis huic malo remedium? *B.* Neſcio, valde ſtupemus omnes. Tametſi duo illi convivatores mei nihil videantur eſſe ſoliciti, habet enim in promptu cauſam. *E.* Quid tandem cauſari queunt? *B.* Iveramus jentatum, inquient, quia mane, cum cæteri jentarent, eramus cum parentibus, qui heri nobis attulerant alimenta. *E.* Iſtud quidem eſt aliquid; ſed non tamen ſic pœnis evadent. *B.* Cur non? *E.* Quia id fieri debuit in triclinio palam, non autem clanculum in cubiculo. Illud etiam cauſam gravabit, quod te, quum ſis convictor, quaſi ad crapulandum abduxerint; quod quidem ipſi Præceptori eſt maxime odioſum; tua tamen cauſa eſt longe peſſima. *B.* Cede igitur, quid faciam, mi Eraſme? *E.* Age conferamus conſilia,

lia, quibus, ſi fieri poteſt, abſolveris. *B.* Nihil eſt, quod a me expectes in eo genere: Neque enim conſilii locum habeo, neque ullam remedii copiam: Sed tu, obſecro, explica vires ingenii tui ad me cito juvandum, Animus pendet mihi, inſtat pœna, ſatis vides. Ea, niſi quid impediat, poſt cœnam exigetur. *E.* Id nequaquam fiet. Quum enim crimen publicum non ſit, non erit pœna publica. *B.* Sive publice, ſive privatim id futurum eſt, non differetur. *E.* Recte judicas. *B.* Id cauſæ eſt, quamobrem nunc ad opem tuam confugerim: quod ſi me deſeris, actum eſt: dabo pœnas graviſſimas. *E.* Ad DEum potius confugiendum fuit, ſine quo nullum valet conſilium, a quo item ſalus omnis & petenda & ſperanda eſt. *B.* Res eſt manifeſta ſatis, & ego priusquam te adirem, non prætermiſi precandi officium: ſed tamen vult ille pater clementiſſimus, ut iis utamur auxiliis, quæ nobis offert ipſe, & quaſi in manum dat. Quare te oro per noſtram arctiſſimam neceſſitudinem, ut conſilio tuo nunc mihi ſuccurras. Hic non ceſſandi aut tardandi locus. Huc igitur vires tuas intende, hanc cauſam ſuſcipe, obſecro. *E.* Quandoquidem ſic inſtas, ut vim afferre quodammodo videaris, dicam ex animo & vere, quod ſentio. Noſtin Præceptoris ingenium? *B.* Novi, opinor, ex parte aliqua. *E.* Ergo memoria tenes, nihil eſſe illo clementius, erga eos quidem, quos videt ſubmiſſos eſſe & culpam ingenue confiteri: Superbis autem & contumacibus vix aliquid poteſt ignoſcere. *B.* Egomet iſta non ſemel obſervavi.

 E. Scin

E. Scin igitur, quid facias? *B.* Dic mihi, quæſo. *E.* Dum tua res adhuc integra eſt, tibi ſuadeo, ut hominem ſolus adeas in muſæum, & orationem habeas in hanc ſententiam: En ego, Præceptor humaniſſime, graviter peccavi, fateor: ſed ut ſcis, prima eſt noxa, quam admiſerim. Nunquam enim antea quicquam admiſi, quod flagris dignum videretur. Qvamobrem, clementiſſime Præceptor, ſi tibi placet, hanc primam culpam priſtinæ integritati meæ condones, vehementer te oro. Quod ſi unquam poſthac recidero; cauſam non dico, quin plectar ſeveriſſimè: Hac aut ſimili oratione illum, ut ſpero, exorabis. *B.* O conſilium prudens & opportunum! *E.* Utere, ſi placet: Tale certe eſt, quale mihi dari vellem in ejusmodi malo. *B.* Sed unum reſtat, de quo ſum ſolicitus. *E.* Eho, quid reſtat? *B.* Non potero tam breviter & commodè dicere in conſpectu Præceptoris, quam tu nunc dixiſti. *E.* Non debes adeo de verbis meis eſſe ſolicitus; modo teneas ſententiam. *B.* Propemodum teneo. *E.* Benè habet: Scribe nunc craſſo modo, ut poteris: deindè conferemus unà: poſtea ediſces ad verbum diligenter. *B.* Hoc nihil eſt neque tutius neque certius. Sed quo tempore cenſes illum adiri poſſe opportunè? *E.* Qvamprimum videbis eum à prandio ſe recipere in Bibliothecam, aut ſi fortè, ut ſolet, ambulatum in horto ſolus iverit: tunc illum ſtatim ſequere. *B.* Qvonam utar exordio? *E.* Non opus eſt alio, quam quo apud illum uti ſolemus omnes. *B.* Quod eſt illud? *E.* Præceptor, licetne

pauca?

Digitized by Google

pauca? *B.* Bene vertat DEus omne conſilium tuum! Nunc eo ſcriptum, quod dixiſti, deinde reviſam. *E.* Matura; nam inſtat hora prandii.

COLLOQ. XXVII.

Ægritudinis conſolatio. Peregrinatio mercatoria. Migratio. Nuncium lætum. Preces. Amici conſilium utiliſſimum.

AMBROSIUS. GRATIANUS.

SUbtriſtis mihi videris, Gratiane: quid rei eſt? *G.* Dies noctesque de Patre abſente cogito, & ob eam rem interim mœrore conficior. *A.* Quam pridem abeſt? *G.* Qvatuor abhinc menſes. *A.* Nihil ad vos interea ſcripſit? *G.* Ex quo diſceſſit, ne verbum quidem audivimus. *A.* Fieri poteſt, ut ſcripſerit; ſed ut literæ interciderint, aut fuerint interceptæ. *G.* Quod dicis, veriſimile eſt; nam antea ubicunque eſſet, ſolebat nobis ſcribere. *A.* Nonne hac æſtate iverat Antwerpiam? *G.* Eo certè conſilio tunc ſeſe in viam dederat. *A.* Confido ſalvum eſſe. *G.* Ego quoque non diffido; ſed non ideo meus allevatur dolor. *A.* Quid ait mater? *G.* Fere ſemper lamentatur. Inde fit, ut mihi duplicetur ægritudo. *A.* Sed tamen non usque adeo te macerare debes: potius enim de iſto bene ſperare oportet, quam te ſic macerare. Qvid enim ſunt quatuor menſes? Qvotula eſt pars eorum, qui tot annos domo abſunt, interim jactati per varios caſus, per tot diſcrimina rerum. *G.* Sed quid me conſolantur aliorum caſus & pericula? *A.* Vide tamen, ne ſis nimium delicatus, qui patris deſiderium tantillo tempore ferre non queas. *G.* Ferrem equidem æquo animo,

animo, modo illi bene eſſe ſaltem intelligerem. *A.* Cui poteſt eſſe male, qui in DEO ſpem omnem collocavit? ſive enim vivimus, ſive morimur, DEI ſemper ſumus, ut divus Paulus ait. *G.* Nihil dubito, iſtud eſſe veriſſimum, ſed ea eſt carnis hujus infirmitas. *A.* Quid faceret igitur, qui in Chriſto ſpem nullam habet? *G.* Neſcio. *A.* Sed cave tamen, ne iſta impatientia DEus offendatur. *G.* Delictum meum ſubinde agnoſco, & ſupplex imploro veniam. *A.* Facis, ut decet. Sed audi, quæſo, quid mihi nunc in mentem venerit. *G.* Quid iſtud eſt? *A.* Quid ſi pater tuus navigaverit in Britanniam negotiandi cauſa? illic enim nunc eſt libertas maxima. *G.* Quam libertatem dicis? *A.* Evangelii, quod illic auditur liberrimè. *G.* Ain tu, Evangelium nunc eſſe in Britannia? *A.* Certa res eſt. *G.* Atque idololatriam profligatam? *A.* Omnino. *G.* O auditu jucunda Evangelia! *A.* Immo jucundiſſima. *G.* Sed unde ſcis iſta? *A* Unde ſciam, rogas? miror ego, te adhuc ignorare, quod notum eſt omni populo. *G.* Mirari deſines, ſi ſcias, ubi nos habitemus. *A.* Ubi quæſo? *G.* In angulo totius urbis remotiſſimo. *A.* Atqui putabam vobis eſſe domicilium in vico ad forum. *G.* Jam ante migraveramus, quam peregrè Pater eſſet profectus. *A.* Quod igitur ignorabas, nunc habeto certiſſimum. Utque magis credas, hoc audi præterea: Major pars Britannorum, qui ob Evangelium in hanc urbem, tanquam ad aſylum, ſeſe receperant, in patriam remigrant jam ante dies quindecim. *G.* O mi Ambroſi, quantum

Digitized by Google

tum me iſto nuncio de Britannicis rebus hodie recreaſti! qualem adhibuiſti meo dolori medicinam! *A.* Sic ſolet DEus noſter ſuis adeſſe in extremis anguſtiis. *G.* Mirum, ſi pater eſt in Britannia? Jampridem enim ſæpius querebatur, quod non eſſet tutus illuc acceſſus ad mercaturas obeundas. *A.* Quin etiam Britannus quidam, homo neque levis, neque nugator, narrabat his diebus patri meo, ſe literas certas illinc accepiſſe, in quibus hoc erat inter cætera: Omnes undique ob Chriſti nomen profugos, in ipſa Britannia excipi humaniſſime, tractarique benigniſſime. *G.* Quid eſt igitur, quod amplius dubitemus? *A.* Nulla, ut audis, reſtat ea de re dubitatio. *G.* Tantum ſupereſt, ut inprimis DEI optimi maximi bonitatem extollamus, quanta poſſimus laude & gratiarum actione: deinde ſedulo atque aſſiduè precemur, ut ſua beneficia non modo confirmet, ſed etiam indies magis ac magis augeat. *A.* Igitur, mi Gratiane, memineris patris ſalutem ipſi DEO per Chriſtum ſæpiſſime commendare, idque votis & precibus ardentiſſimis. *G.* Utinam ille ſuo Spiritu ſic afficiat animum meum, ut ex imo pectore ejusmodi preces effundere valeam, quas ipſe dignetur exaudire! *A.* Votum ſanctiſſimum! modo, quod quidem credo, ex animo profectum. *G.* O mirabilem conſolatorem DEum noſtrum! O quantum valet in adverſis rebus veri amici conſilium & conſolatio! *A.* Sed quo nunc is? *G.* Domum recta propero, ut hæc matri quamprimum nunciem, atque ejus animum omni expleam gaudio. *A.* Faxit DEus, ut illa ſerio exhilaretur! *G.* Ita precor.

COL-

COLLOQ. XXVIII.

Salutatio. Reditus à vacatione Scholarum ſolenni. Probatio ſive examen. Spes quarum rerum. Ruſticatio. Vindemia & vini in ubertate abuſio. Verbera pro bene monitis.

DAVID. JONATHAN.

SAlve Jonathan optatiſſime! *J.* Salve & tu vindemiator jucundiſſime! *D.* Quomodo ſe habet Schola? *J.* Optimè. *D.* Jamne redierunt multi? *J.* Vix quarta pars nunc abeſt. *D.* Quid agitur? *J.* Docetur, legitur, ſcribitur, repetitur. *D.* Iſta ſunt generalia & quotidiana; ſed quid fit in noſtra claſſe? *J.* Idem quod in cæteris: & quod fiebat ante vacationem. *D.* Ergone jam ſerio habentur prælectiones? *J.* Jam abhinc octo dies. Nam quid aliud fieret? *D.* Solebamus per aliquot dies exerceri in illis repetendis, quæ antea didiceramus. *J.* Tribus diebus totis nihil aliud factum eſt. *D.* Quid probatio? Jamne incepta eſt? *J.* Hui incepta! propemodum finita eſt. Cras ſexta claſſis interrogabitur. *D.* Me miſerum! Excluſus ſum à præmio. *J.* Etiamne præmium ſperabas? *D.* Quidni ſperarem? Unicuique ſperare licet, præſertim ſtudioſo. *J.* Malim ego nihil ſperare. *D.* Quid ita? *J.* Nam, ſi nihil contigerit, nulla mihi erit fruſtratio, neque moleſtia; ſin conſequar aliquid, id ego in lucro deputabo. *D.* Nunquamne legiſti?

Vivere ſpe vidi, qui moriturus erat.

J. Imo vero legi, & memoria teneo: ſed hoc nihil ad propoſitum. *D.* Cur non? *J.* Quia verſus ille agit de ſpe illa, quæ in rebus adverſis retinen-

tinenda eſt. Quem ſenſum expreſſit Cato noſter hoc diſticho:

Rebus in adverſis animum ſubmittere noli.
Spem retine: ſpes una hominem nec morte relinquit.

D. Tu igitur nihil ſperas? *J.* Spero vitam æternam. *D.* Dicebas modo, ſperandum eſſe in adverſis rebus. Quæ tibi ſunt adverſa? *J.* Ea, quæ me oppugnant quotidiè. *D.* Quæ tandem ſunt illa? *J.* Propria caro, Satan & improbi homines, qui me injuriis afficiunt. *D.* Ex quo tempore factus es Theologus? *J.* Nec ſum Theologus, nec Theologaſter; ſed quod dico, id ego didici è ſacris concionibus. *D.* Laudo equidem, ſed age, dic mihi ſerio: Eſtne acta claſſis noſtræ probatio? *J.* Jam tibi ſerio dictum puta. *D.* Dolet mihi, quod non interfuerim. *J.* Citius veniſſes. Quid agebas? *D.* Mater me coëgit vindemiæ exitum expectare. *J.* Credo, ſed tu tua voluntate coactus es. *D.* Ut fatear ingenuè, libenter expectavi. Sed quid agas? Homines ſumus, ut ajunt. *J.* Immo pueri. *D.* Sed vix credas, quam jucundum ruſticari, præſertim ubi tanta eſt omnium fructuum affluentia. *J.* Eſtne vobis magnus vini proventus? *D.* Tantus profecto, ut majorem vidiſſe non meminerim. *J.* Quid agunt ruſtici in hac tanta ubertate? *D.* Nihil aliud, quam potationes & crapulas crepant: quin etiam vino jam perinde abutuntur, quaſi aqua fontana ſit. *J.* Ea eſt ſtultæ plebis dementia, ut DEI beneficiis nunquam rectè uti ſciat. *D.* Scilicet illud eſt, quod dicitur: Nunquam ſapiunt ſtul-

Digitized by Google

ſtulti, niſi in anguſtiis. *J.* Ergo plectuntur merito. *D.* Quid? quod admonitiones etiam irridént. *J.* Sunt, qui nullam omnino ferre poſſunt, quin bene & comiter etiam monentibus iraſcantur. *D.* Audi aliquid gravius: fuerunt, qui mihi verbera minarentur, cum eos humaniſſime admonerem. *J.* Iſtud mihi novum non eſt. Nam & quidam mihi aliquando pugnum intentavit, quod niſi veritus eſſet mei patris auctoritatem, profecto vapulaſſem acerrime. *D.* Sed omittamus eos, quia cœci ſunt: nec tamen ſe tales eſſe intelligunt. Jactant ſe probe callere, quid ſit Evangelium, quum revera Evangelio adverſentur. *J.* Si verbi divini miniſtros & paſtores ſuos non audiunt, qui putas fieri poſſe, ut nos audiant? *D.* Sequamur ergo, quod præcipit Chriſtus: Nolite ſanctum dare canibus. *J.* Adſunt quidam ſimplices & benevoli, qui auditione verbi divini mirum in modum delectantur: hi ſunt, quos docere eſt jucundiſſimum. *D.* Quam gaudebo, quoties in tales incido, ut ego illos complectar libenter! *J.* Nec immerito. Nam ubi eos docueris, tum demum frueris laboris tui fructu, non ſine voluptate maxima. *D.* Sed nos quid cogitamus? nonne vides, ut nox fere nos oppreſſerit. *J.* Diſcedamus igitur, ut cras, ſi Dominus permiſerit, pluribus verbis agamus una de ſtudiis alacriter repetendis.

COLLOQ. XXIX.

Morum licentia. Obedientia in parentes. Otii bonus uſus. Valedictio nocturna.

REIN-

REINHARDUS. SIGISMUNDUS.

PAter tuus, ut accepi, rediit è Gallia? *S.* Rediit ſanè. *R.* Quando? *S.* Die Lunæ veſperi. *R.* Adventus ejus non tibi moleſtus fuit? *S.* Quid moleſtus? Immo vero jucundiſſimus; ſed cur iſtud rogas? *R.* Quia forſitan illo abſente liberius vivendi tibi eſt poteſtas. *S.* Neſcio, quam mihi libertatem narras. *R.* Potandi, ludendi, curſitandi. *S.* An igitur putas, me nihil aliud agere, dum pater abeſt? *R.* Sic fere ſolent omnes. *S.* Diſſoluti quidem. Nam quod ad me attinet, abſente patre ſic vivo, ut eo præſente. Non poto: ſed bibo, quantum ſatis eſt: ludo, quum tempus poſtulat: non diſcurro, ſed cum bona matris venia in publicum prodeo, quum aliquid habeo negotii. *R.* Etiamne matri tantopere ſubditus es? *S.* Æquè ac Patri. Quid enim putas? Nonne de utroque æquale eſt præceptum Domini? Honora, inquit, patrem tuum & matrem tuam. Quid Ethnicus ille auctor diſtichorum moralium:

Dilige non ægra charos pietate parentes,
Nec matrem offendas, dum vis bonus eſſe parenti.

Quid Paulus noſter? Filii, obedite, inquit, parentibus in Domino. Nonne parentis nomine pater & mater continentur? *R.* Iſtud à Latinis obſervatur auctoribus. *S.* Quin etiam, ſi quod eſſet reverentiæ diſcrimen, videremur optimo jure plus debere matribus, ut quæ dolores tantos & labores propter nos pertulerunt. *R.* Novi ego iſta, & quæ dixiſti, placent mihi omnia. *S.* Cur ergo mihi repugnabas? *R.* Ut ea quaſi re-

Digitized by Google

pugnantia nobis accerſerem ſermonis materiam. Nam, ut tute noſti, Præceptor ſæpe nos exhortatur, ut noſtrum otium in ejusmodi ſermonibus impendamus. *S.* Bonum ſane otium, quod honeſto in negotio conſumitur. *R.* Huc pertinet illud Africani Apophthegma, qui dicebat: Se nunquam minus otioſum eſſe, quam quum otioſus eſſet, ut ex Cicerone didicimus. *S.* Sed jam tempus monet, ut huic ſermoni finem imponamus. *R.* Recte mones: fortaſſe enim tua cauſa cœna tardatur domi. *S.* Plura, ſi Dominus permiſerit, in proximo congreſſu. *R.* Precor tibi noctem proſperam! *S.* Et ego tibi placidam per membra quietem.

COLLOQ. XXX.

Somnolentia. Emendatio naturæ ſit duce DEO, armis divinis.

NOMENCLATOR. DESIDERIUS.

NOn ſatis mirari poſſum, te non eſſe diligentiorem. *D.* Qua in re videor tibi negligens? *N.* Qvod mane fere nunquam ades in tempore, atque inde fit, ut pene quotidie noteris in Catalogo. Cur es adeo ſomniculoſus? *D.* Mea ſic fert natura. *N.* Corrige naturam illam, hoc eſt, naturæ vitium. Qvid tibi profuit Catonis noſtri dictum? *D.* Qvodnam quæſo? *N.* *Plus vigila ſemper, nec ſomno.* *D.* Ne plura, ego probe memini. *N.* Nihil prodeſt meminiſſe, niſi ad uſum tuum accommodes. *D.* Utinam & hoc & alia præcepta ſalubria tam facile ad bene vivendi uſum transferremus, quam ea facile ediſcimus. *N.* Ut verum fatear, præcipere, quam præſtare,

ſtare, multo eſt facilius. Sed tamen eniti debemus, ut vel monitis vel precibus proficiamus aliquid, ut indies evadamus meliores. *D.* Qui id non facit, ejus ſalus deſperanda eſt: ſed nihil difficilius emendatur, quam naturale vitium. *N.* Omnia fere vitia nobis ſunt naturalia, & niſi DEI bonitas ſervaret nos, eſſemus omnes ſceleratiſſimi. *D.* Qvid igitur faciendum? *N.* Fortiter cum vitiis noſtris pugnandum eſt. *D.* Qvo duce? *N.* Ipſo DEO. *D.* Quibus armis? *N.* Divinis & ſpiritualibus. *D.* Ubi tandem inveniuntur? *N.* In Epiſtola ſancti Pauli ad Epheſios. *D.* Qvoto capite? *N.* Sexto. *D.* Qvid ſi locum per me non intellexero? *N.* Non omnino intelliges, ſatis ſcio: Sed Præceptor erit conſulendus. *D.* Qvid ſi mecum affueris? *N.* Adeſſe volo, certum eſt; verum captanda erit opportunitas. *D.* De hoc igitur alias conſilium capiemus. *N.* Qvando iſtud erit? *D.* Proximo die Mercurii, ſi tibi ita videtur. *N.* Qvota horâ? *D.* Poſt meridiem primâ. *N.* Placet ſententia. *D.* Nunc igitur diſcedamus.

COLLOQ. XXXI.

A vindicta abſtinendum. Chriſtiana manſuetudo. Peccatum quid?

TERTULLIUS. RUDOLPHUS.

LIcetne malum malo rependere? *R.* Cur iſtud quæris? *T.* Ut iis reſpondere poſſim, qui hac in re mihi contradicunt. *R.* Breviter interrogaſti, reſpondeo breviſſime: Non licet. *T.* Cur non? *R.* Qvia vetuit Chriſtus & poſt eum Apoſtoli. *T.* Qvid igitur faciendum eſt? *R.* Malum bono compenſandum. *T.* Annon ſatis eſt, bonum bo-

no rependere? *R.* Non ſatis, Chriſtiano quidem. *T.* Qvamobrem? *R.* Nam Chriſtianum oportet Chriſtum Præceptorem imitari. *T.* Qvid fecit Chriſtus in eo genere? *R.* Sanavit eum, qui ipſi colaphum infregerat: precatus eſt pro iis, qui ipſum in crucem ſuſtulerunt: alia item multa fecit ejusmodi. *T.* Nihilne igitur facit, qui gratiam pro gratia rependit? *R.* Tantum facit, quantum faciunt Ethnici. *T.* Qvid illi faciunt? *R.* Amicos diligunt, & referunt gratiam, a quibus acceperunt. *T.* Nihilne amplius? *R.* Nihil: nam quid amplius expectes ab iis, qui verum DEum non noverunt. *T.* Qvid faciunt inimicis? *R.* Qvibuscunque modis poſſunt, eos perſequuntur. *T.* Eſtne Chriſtiano peccatum? *R.* Si non licet, ut jam tibi probavi, conclude, id peccatum eſſe. *T.* Atqui, ut vulgo dicitur: Vim vi repellere licet. Qvam ſententiam novus quidam Poëta etiam ſatius interpretatus eſt his verbis:

Pellere vim vi jura ſinunt, & vulnere vulnus.

Qvid ad hoc reſpondes? *R.* Iſtud quidem permittunt Ethnicorum leges, ſed lex divina longe aliter loquitur. *T.* Qvid eſt divina lex? *R.* Idem, quod DEI verbum. *T.* Qvicquid ergo fit contra DEI verbum, eſtne peccatum? *R.* Procul dubio peccatum eſt. *T.* Potesne iſta probare ex divinis literis? *R.* Qvidni poſſim! Nihil facilius. *T.* Affer mihi, quæſo, ſententias. *R.* Non credis id, quod eſt omnibus in confeſſo? *T.* Immo vero indubitanter credo. *R.* Qvid igitur opus eſt teſtimoniis? *T.* Ut contradicentibus certo reſpondere poſſim. Recte intelligis. *R.* Sed qu

no

Digitized by Google

non poſſes ex tempore memoriæ mandare, expecta, dum tibi deſcribam in chartula, in qua etiam ſit locorum annotatio, ut poſſis, quibus voles, etiam digito demonſtrare. *T.* Optimum ex tempore conſilium! quanto iſtud mihi commodius fuerit? Sic enim per otium ediſcam, ut ad manum habeam, quoties erit opus. Sed quando mihi dabis? *R.* Cras, ſi libet, huc ad me revertere. *T.* Quota horâ? *R.* A meridie prima. *T.* Sat habeo. Interea vale. *R.* Te ſervet Dominus DEus!

COLLOQ. XXXII.

Contractus vitandi pueris. 1. Simulatio utilis. 2. Diſſimulatio Chriſtiana injuriarum. 3. Auxilium divinum. 4.

GEORGIUS. BASILIUS.

VIs emere hoc cingulum? *B.* Cur emerem? unum mihi ſatis eſt. Tu vero, cur vis vendere? *G.* Quia ſunt mihi duo. *B.* Nec tamen licet, ut vendas, niſi vis in pœnam incurrere. *G.* Quis vetat me vendere res meas? *B.* Nihil adhuc tuum habes. *G.* Eho nihil? Unde probas iſtud? *B.* Quia nondum es tui juris, ſed ſub patria poteſtate: denique vis audire, tibi iſtud non licere? *G.* Maxime velim. *B.* De hoc lex eſt ſcholaſtica, cujus hæc eſt ſententia: Pueri injuſſu Parentum, nec vendant aliquid, nec emant, nec permutent, nec alienent quovis alio modo; qui contra fecerit, verberibus plectetur. *G.* Iſtud ego 2.
non ignorabam, ſed volebam periculum facere, an conſtans eſſes in obſervandis legibus. *B.* Tu igitur es ſimulator. *G.* In hac ſimulatione nihil video eſſe mali. Num tu interpretaris male? *B.* 3.
Minime vero. Nihil enim nocuiſti mihi. *G.* Quid

ſi nocuiſſem? *B.* Tuliſſem æquo animo, ut Chriſtianum decet. *G.* Utinam adverſa omnia ſic feramus propter Chriſtum, qui nihil non tulit ſalutis „ noſtræ cauſa. *B.* Feremus certe, ſi exemplum ejus „ ſemper nobis proponamus ob oculos. *G.* Diffi„ cile id quidem eſt. *B.* Immo impoſſibile, niſi il-
4. lius Spiritu ſemper adjuvemur, quod quidem aſſiduis precibus eſt impetrandum. *G.* O quam ſuavi ſermone tantillum otii conſumſimus!

COLLOQ. XXXIII.

Mendacium fugiendum. 1. Et omne peccatum vel leviſſimum. 2. Peccandi facilitas. 3. Peccati condonatio. 4. Fides. 5. Primitiæ Theologiæ. 6.

SERVATIUS. OTTO.

ECquid hodie precatus es domi? *O.* Cur quæris iſtud? *S.* Quia non interfuiſti matutinæ precationi. *O.* Quî ſcis? *S.* Obſervavi. *O.* Atqui non es obſervator. *S.* Non ſum. *O.* Quamobrem igitur obſervabas? *S.* Quia mihi es chariſſimus. *O.* Quid tum? *S.* Dolebit mihi, ſi vapulabis. *O.* Quid? an ego notatus fui? *S.* Etiam dubitas? *O.* Quum recitaretur catalogus, nemo me excuſavit? *S.* Nemo, quod ſciam. *O.* Si me tantopere amas, ut dicis, cur
1. tute non excuſaſti me? *S.* Quid cauſæ dixiſſem? *O.* Commentus eſſes aliquid. *S.* Ergo mentitus eſſem. *O.* Quid inde? *S.* Sed ex verbo Dei mentiri vetitum eſt. *O.* Fateor: ſed erat leve mendacium. *S.* Nihil
2. leve judicandum eſt, quo DEus offenditur. *O.* Negare iſtud non poſſem; ſed levia iſta facile remittit nobis propter JEſum Chriſtum, qui eſt Deprecator noſter, & Advocatus. Nam quotus-

tusquisque non peccat quotidie ſæpiſſime. *S.* Profecto nullus: quin etiam vix precamur, aut aliquid 3.
boni operamur, in quo non inſit aliqua peccati ſpecies. *O.* Quid ergo futurum eſſet nobis, niſi 4.
DEus facile ignoſceret? Unde & quotidie precantes dicimus: Remitte nobis debita noſtra. *S.* Nihil dubitare debemus, quin remittat, ſi errata noſtra ſerio & vere agnoſcamus: ſi ex animo petamus ve- 5.
niam: ſi fidem habeamus, nobis ignoſci. *O.* Quid igitur reſtat? *S.* Illud reſtat, ut neque delectemur " 6.
peccatis, neque in his perſtemus, neque malitioſe, " ſcienter & de induſtria peccatum committamus: Nimis enim multa ſunt, quæ per carnis infirmitatem peccamus: aut etiam per ignorantiam. *O.* Nihil dubito de peccatis illis, quæ ex carnis imbecillitate perpetramus, qualis fuit Petri abnegatio. Sed quî fit, ut peccemus per ignorantiam? *S.* De hoc Pauli exemplum habes, qui ſcribens ad Timotheum in priore epiſtola palam profitetur, ſe, quamvis Eccleſiam DEI perſequutus fuerit, tamen veniam eſſe conſequutum; quia ignorans id fecit. *O.* Iſto exemplo mihi abunde ſatisfeciſti, nam & ego id legere memini. Sed ſcin tu, quoto epiſtolæ capite id ſcriptum ſit? *S.* Equidem non ſoleo vexare memoriam in retinendis capitum numeris; mihi hoc tempore ſatis eſſe videtur, aliquot ſententias quaſi raptim annotare, quas memoriæ mandare liceat, ſi quid interdum otii ſuffurari poſſim ex quotidiana ſtudiorum præſentium occupatione. *O.* Utinam ego quoque id facere

 poſſem!

poſſem! *S.* Quid impedit? *O.* Vix ego queo ſatis Præceptori facere in exercitationibus ſcholaſticis: tantum abeſt, ut aliis aliquid temporis impertiri concedatur. *S.* Satis profecto quotidie ſumus occupati, ſed hæc tamen ferenda ſunt, quamdiu nobis opus eſſe DEO & parentibus noſtris viſum fuerit. *O.* Ego præterea libenter fero ac tolero omnes ejusmodi labores. *S.* Qua ſpe toleras? *O.* Quia futurum ſpero, ut primi ſint gradus, quibus ad majora aliquando perveniam. *S.* Sed de his alias pluribus. Nunc agamus, quod inſtat. *O.* Quid iſtud eſt? *S.* Audin tu ſignum ad cœnam dari? *O.* Bonum ſignum nuncias: Jam ſentiebam eſuriem. *S.* Nimirum quia merendam prætermiſiſti. *O.* Utinam ea tam facile ſemper abſtinere poſſem, quam hodie carui libenter. *S.* Ego vero non libenter careo, niſi occupatus neceſſario negotio.

COLLOQ. XXXIV.

Gratulatio reditus. 1. Profectio Italiæ. 2. Laudatio. 3. Frigus animorum in laudando DEum. 4. Urbes Italiæ. 5. Roma. 6. Papa. 7.

PHILIPPUS. STEPHANUS.

SAlve ambulator optatiſſime! *S.* Et tu ſalvus ſis, ceſſator occupatiſſime. *P.* Satisne recte vales, mi Stephane? *S.* Immo rectiſſime, quæ eſt DEI optimi maximi benignitas. *P.* Equidem ex animo gaudeo, tibique vehementer gratulor reditum illum incolumem. Ubi fuiſti hoc toto anno? *S.* In Italia. *P.* Quam ob cauſam animum induxeras illuc proficiſci? *S.* Ob famam regionis, de qua tam multa ubique prædicantur. Nec ignoras, quam ſimus rerum nova-

novarum cupidi. *P.* Sic eſt natura comparatum; ſed quid illic inveniſti? *S.* Certè multo plura, quam ex fama audiveram. *P.* Sed multa, credo, vidiſti, quæ minime velles. *S.* [redacted] ſed quod ad region[redacted] ſertiliſſima, omni optimorum fruc[redacted] valde abundans, præcipue vino præſtantiſſimo. *P.* Scilicet ea potiſſimum res tibi arridebat. *S.* Ut verum fatear, mirificè afficiebat palatum. Nam quale dicas hoc noſtrum vinum eſſe? villum verè dicas, ſi cum illo compares. *P.* Inde ergo tibi ſe offerebat pulchrum DEI laudandi argumentum. *S.* Pulcherrimum: Sic enim ſæpè cogitabam: Quam bonus es, Domine DEus, qui nos amaviſti usque ad delicias: Non enim ſolum ea creaſti nobis ad victum, quæ terra ſponte ſua producit, ſed etiam tot genera rerum delicatiſſimarum, quæ ſi moderatè ſumamus, & corpus ſuaviſſime nutriunt, & ipſum animum mirifice exhilarant. O quibus verbis, quibus operibus ſatis dignè glorificemus nomen tuum, Domine! Denique afficiebar animo, ut nihil magis cuperem, quam divinas laudes ſemper in ore habere? ſed proh dolor! aliis atque aliis ſubinde conceptis cogitationibus ignis ille paulatim extinguebatur. *P.* Iſtud apud me non eſt novum; Nam ſæpe tale quid mihi ſolet accidere. *S.* Ea eſt naturæ noſtræ inconſtantia. *P.* Horis ferè omnibus iſtud experimur. Sed qûid tandem egiſti in tua Italia? *S.* Inviſi animi gratia aliquot urbes celebriores, alicubi etiam ſtudui aliquamdiu. *P.* Quas urbes viſiſti

Digitized by Google

potiſſimum. *S.* Multas quidem vidi in tranſitu, ſed paucas contemplatus ſum otioſus; nimirum Genuam, Florentiam, Venetias, denique Romam illam, quæ olim [redacted]ebatur, nunc autem eſt omnium [redacted] *P.* Vidiſtine [redacted] *S.* Vidi obiter, quum per vicos, opinor, ſpectaculi gratia portaretur. *P.* Sed, ut ad rem, in quibus tandem oppidis commoratus es ſtudiorum gratia? *S.* Roma rediens tranſivi Bononiam, Patavium, Mediolanum. In eorum oppidorum ſingulis menſes circiter tres verſatus ſum in vario literarum genere. Volui enim è ſingulis paucula quaſi deguſtare. *P.* Quid autem vidiſti novi in tot celeberrimis oppidis? *S.* Rogas? Ferè omnia mihi nova videbantur, ſed longum foret omnia tibi narrare; Præſertim nunc, quum mihi eſt aliquò properandum. *P.* Quò tandem? *S.* Ad patruum, qui me ad cœnam invitavit. *P.* Nolo igitur te remorari diutius. Sed quando licebit nobis otioſe confabulari? *S.* Cras à prandio, ſi volueris. *P.* Ego vero id percupio. *S.* Ad horam igitur primam expecta me in cubiculo. *P.* Fiet. Hora eſt ad merendam opportuna.

COLLOQ. XXXV.

Officia domeſtica apud Ludimagiſtrum Hypodidaſcali.

MAGISTER. HYPODIDASCALUS.

QUid? quod hiſce diebus inter nos egeramus, ſatiſne cogitaſti? *H.* Etiam atque etiam cogitavi. *M.* Ecquid placet tibi conditio, quam obtuli? *H.* Maxime. *M.* Quid menſa, ſeu

ſeu convictus? *H.* Nihil in ea re deſidero. *M.* Quid reſtat igitur? *H.* Ut, ſi tibi non moleſtum eſt, præſcribas mihi, quas operas à me tibi præſtari velis. *M.* Id vero eſt æquiſſimum. Accipe igitur præcipua officii tui capita: quorum hoc primum eſt: Quotidie manè diligenter curare, ut omnes domeſtici mei diſcipuli mature ſurgant: pro ratione temporis cum hyberni, tum æſtivi. Ubi ſurrexerint, ea curent, quæ ad cultum & munditiem corporis pertinent: Poſtremò, ut interſint privatæ noſtræ precationi.

Secundum, ter quotidie in aulam deducere, manè ſcilicet, & ante horam undecimam, ac tertiam pomeridianam. Illic, niſi egomet adero, expectare, donec aliquis ex doctoribus affuerit. Interea curare recitandos catalogos, & precationem dicendam. Item obſervare ſedulò, num quis ex ipſis Doctoribus abſit ab auditorio ſuo: ſi quis aberit, mihi ſtatim renunciare, aut ejus partes agere.

Tertium, manere cum pueris domeſticis, quoties non docentur in ſcholis ſuis. Intereà minores ad lectionem & ſcripturam inſtituere, cæterorumque repetitiones audire, quantum tempus & opportunitas patietur, omnes denique in officio retinere, admonere, arguere, objurgare, virgis etiam, ubi opus fuerit, caſtigare.

Quartum, feriatis diebus eos ad ſacras conciones ordine deducere, ac domum ſimiliter reducere.

Quintum, quoties ludere permiſſum erit,

ub-

ſubinde obſervare, ne quid præter officium & bonos mores vel factis vel dictis admittant.

Sextum, ſuppeditare ex pecunia, quam tibi in manus dabo, chartam, pennas, atramentum & alia quædam, duntaxat parvi pretii neceſſaria: eaque omnia in expenſorum codicem referre. Id autem Mercurii & Sabbathi potiſſimum diebus fieri ſolet.

Septimum, quæ ad eorum libros, veſtimenta, & curam corporis pertinebunt, non negligere, hoc eſt, interdum ab illis librorum & veſtimentorum rationem exigere, valetudinis & cultus corporis rationem habere; & alia ejusmodi in pueris, præſertim minoribus, curanda & obſervanda.

Octavum, docere pueros, tum in claſſe mea, tum in cæteris, præter tres ſuperiores, ſi quando neceſſitas poſtulabit.

Nonum, interdum, ſi opus fuerit, me & domi & foris in privatis negotiis adjuvare.

Hactenus audiſti, quæ mihi abs te præſtari velim officia, quæque etiam ab aliis domeſticis hypodidaſcalis exigere ſoleam. Eorum tamen omnium non adeo ſeverus exactor fuero; quin ipſe, quoties per otium licebit, aliqua tibi remittam: In quibus ego quaſi vicarii partes agam. Intellexiſti hæc omnia? *H.* Ego vero diligenter omnia; ſed unum te oro, ut ad memoriam renovandam des mihi eorum commentariolum; & ſimul cogitandi ac deliberandi ſpatium. *M.* Quantum temporis poſtulas? *H.* Diem unum naturalem. *M.* Ego vero duos integros

tegros dabo. Interea, ut cœpiſti, nullo tuo ſumtu nobiſcum perges vivere tam libere, quam ſi eſſes domi tuæ. *H.* Iſtud non ſine humanitate facis, quo fit, ut majori beneficio me devincias. *M.* Habebis à prandio, quod requiris, commentarium, quamprimum mea tibi manu conſcripſero. H. Quid ſi mihi dictares? *M.* Malim egomet ſcribere, ne quid forte inter dictandum excidat. *H.* Uti libet.

COLLOQ. XXXVI.

Neglectio ſcholæ. 1. Expergefactio matutina. 2. Studendi incommoditates ex habitatione. 3 4. Pater illiteratus. 5 Interceſſores ad exorandum. 6. Preces ſacræ.

QVIRINUS. BENIGNUS.

QUam doleo, me non interfuiſſe mane repetitioni veſtræ? *B.* Cur non veniſti in ludum citius, ut fere ſoles? *Q.* Me miſerum! non ſurrexi in tempore. *B.* Quamobrem? *Q.* Quia 2.
nemo me expergefecit. *B.* Quis te ſolet excitare? *Q.* Hoſpes noſter, aut ejus ancilla; ſed abſente illo, ancilla ſæpe obliviſcitur, aut certè negligit. *B.* Ubi erat hoſpes? *Q.* Sub auroram prodierat ad ſua negotia, ut poſtea reſcivi. *B.* Quid hoſpita? nihilne curat? *Q.* Quid putas eam curare? quotidiè ex quo ſurrexit, ſemper intenta eſt partim curandis filiolis, partim cæteris domeſticis rebus. *B.* Nulloſne habes contubernales ſcholaſticos? *Q.* Prorſus nullos. *B.* Ah! puer infelix, qui neminem habes, quo cum de ſtudiis conferas! *Q.* Ob eam rem mea eſt miſerrima conditio, quantum ego judico. Non enim poſſum arbitrio meo ſtudere propter 3.
tan-

tantam mercatorum turbam, qui domum illam frequentant, & mihi toto die obſtrepunt. *B.* Non habes tibi cubiculum? *Q.* Quid mihi prodeſt habere, eſt enim ita conjunctum gradibus & cochleis, ut ne felis quidem aut aſcendat, aut deſcendat, quin feriat aures meas aliquis ſtrepitus. *B.* Magna profecto moleſtia. *Q.* Illa vero multo major, quod ſupra meum cubiculum eſt ampliſſimum conclave, ubi merces aſſervantur. Unde fit, ut horis omnibus aliquæ graves ſarcinæ vel importentur vel exportentur. *B.* O DEum immortalem! quomodo illic potes vivere? *Q.* Quid ais? vivere? Equidem non vivo, ſed langueo potius; neque unquam mihi videor eſſe liber, niſi cum ſum in ſchola tecum una, & cum cæteris noſtris condiſcipulis. *B.* Quam doleo vicem tuam! *Q.* Utinam liceret mihi tecum habitare in his ædibus ſcholaſticis! *B.* Nihil eſſet mihi jucundius; ſed quid impedit? *Q.* Patris vetus amicitia cum illo hoſpite meo *B.* Deberes patrem admonere de ſtudio-
4. rum tuorum incommodis. *Q.* Sæpe quidem monui & coram & per literas. *B.* Quid ille reſpondet? *Q.* Fruſtra monetur; quaſi ſurdo narretur fabula. *B.* Quid ita? *Q.* Quia nunquam in diſcendi ludo verſatus eſt: Ideoque in ſtudiorum ratione nihil intelligit. *B.* Ego tamen, ſi mea res ageretur, omnem moverem lapidem, ut voti compos efficerer. *Q.* Quid ſi Præceptor ipſe ad patrem meum ſcriberet? *B.* Nunquam iſtud illi perſuaderes. *Q.* Cur non? *B.* Quia non vult ambire quempiam, ut diſcipulorum turbam

Digitized by Google

bam ſibi comparet. Abhorret enim ab omni tum
ambitione, tum avaritia. *Q.* Quid igitur mihi
faciendum ſuades? *B.* Unicum habeo conſilium.
Q. Ne mihi, obſecro, reticeas. *B.* Ea res per amicos
tentanda eſt. *Q.* Idem mihi quoque ali- 5.
quando in mentem venerat; ſed nunquam auſus
ſum experiri. *B.* Quid dubitas? *Q.* Vereor,
ne hoc parum ſuccedat. *B.* Rei exitus eſt in,,
manu Domini.,, Sed quid tentare nocebit? *Q.*
Tentemus ſanè. Nihil enim mali, ut confido,
inde poteſt accidere. At ego neſcio, qua ratione
hic utendum ſit. *B.* Dic mihi, non expectas, ut
brevi pater in hanc urbem veniat? *Q.* Spero
venturum propediem. *B.* Quando igitur? *Q.*
Ad calendas Quintiles. *B.* Optimè eſt. Scin igitur,
quid ſit opus facto? *Q.* Doce, quæſo. *B.* Fac
ſingulatim convenias duos aut tres ex paternis
amicis præcipuis, qui ſunt graves & honorati:
Nempe ut plus valeat eorum auctoritas apud
patrem tuum. *Q.* Bene mones; quid illis dicam?
B. Narrabis diligenter omnes incommoditates
ſtudiorum tuorum. *Q.* Nihilne amplius? *B.* Docebis
inſuper, quonam modo tibi provideri poſſit,
ut tempus redimas, quod apud iſtum hoſpitem
tam miſere hactenus perdidiſti: quod niſi
eo remedio tibi maturè conſulatur, actum eſſet
de ſtudiis tuis & eorum progreſſu. Denique, ne
ante deſtiteris monere, orare, obſecrare, donec
perſuaſeris, ut tibi promittant, ſe acturos eſſe
ſerio cum patre tuo negotium. *Q.* Quid ſi recuſabunt?
B. Vix fieri poteſt, ut recuſent omnes.
Q. Non veriſimile: præſertim quum ſint mei
aman-

amantiſſimi, & mihi patris nomine gratificentur adeo libenter. *B.* Ad hæc res ipſa urgebit eos, nempe tanta ſtudiorum tuorum jactura. Pluribus verbis opus non eſt. *Q.* Auxilio DEI fretus aggrediar primo quoque tempore. *B.* Sed interim memor eſto, ut in divinas preces die nocteque incumbas. *Q.* Volente DEO, id curabo pro viribus. Satis enim ſcio, nullum conſilium mihi eſſe profuturum, niſi quoad ille juverit. *E.* Sed jam tempus eſt, ut domum te recipias, ne forte hoſpes offendatur. Quid ceſſas? *Q.* Cogito, ne quid prætermiſerim, de quo eſſes admonendus. *B.* Si quid alterutri noſtrum præterea occurrerit, cras otioſe tractabimus. *Q.* Vale igitur, mi Benigne, & perge, quæſo, me tuis precibus adjuvare, quemadmodum juviſti optimo conſilio. *B.* A Domino DEO profecta ſunt omnia, qui ut conſilium dedit, ſic dabit effectum. *Q.* Ita fore confido. Iterum vale! *B.* Vale, Quirine ſuaviſſime.

COLLOQ. XXXVII.

Memoria in pueris firmior. 1. Abiens eques. 2. Irridens & jocans differunt. 3. Pecuniæ acceptæ ſciſcitatio. 4. Petitio pecuniæ. 5. Pecunia gravis eſt pueris. 6. Parentis objurgatio non irritanda. 7. Latinitatis unde copia? 8. Horologium veſpertinum.

ATHANASIUS. BENJAMINUS.

SIcceine me neſciente abiit pater tuus, ut mihi non licuerit eum convenire? *B.* Cur à prandio non veniſti in diverſorium ejus? *A.* Quia putabam cras primum illum eſſe diſceſſurum. *B.* Ego quoque idem arbitrabar, ſed noluit

luit occaſionem prætermittere, quæ ſe ex tempore obtulerat. *A.* Adhuc ille meminit Catonis diſtichon illud:

Quamprimum rapienda tibi eſt occaſio prima:
Ne rurſum quæras, quæ jam neglexeris ante.

B. Illud opuſculum ſic memoria tenet, ut in eo videatur ætatem contriviſſe. *A.* Vide, quanta vis ſit memoriæ in iis, quæ rudibus annis didicimus. *B.* Ea eſt Quintiliani ſuper hac re ſententia: cujus verba, ut opinor, meminiſti. *A.* Memini. Sed ut ad rem; quæ fuit Patri occaſio, ut ante diſceſſerit, quam inſtituerat? *B.* Quidam Auguſtani, quibuscum ad mercatum huc venerat. *A.*
Aderasne, quum profectus eſt? *B.* Præſtolabar 2.
illum in diverſorio. *A.* Unde ſcieras, mutaſſe conſilium de profectione? *B.* Eram in prandio, quum inter ipſos convenerat, ut expeditis quibusdam reliquis in urbe negotiis, ſub horam ſecundam conſcenderent. *A.* Quod ſupereſt, ſatisne ex animi ſententia rem ſuam egit? *B.* Ita feliciter, ut me ob eam rem ad divinas laudes vehementer hortatus fuerit. *A.* Tu nunc igitur, opinor, bene nummatus redis. *B.* Mene rides? *A.* Cur ego id facerem? *B.* Pro tua libidine. *A.*
Quaſi vero animi gratia ſoleam irridere cæteros. 3.
B. Atqui ita putabam. *A.* Longe aberras. Nam aliud eſt jocari, aliud irridere. Alterum caret “
vitio, eſtque inter amicos frequens; alterum eſt “
vitioſum, atque ideo indignum, utpote quod “
ex contemtu fere proficiſcitur. *B.* Ignoſce igitur mihi. *A.* Mihi non gravis eſt culpa. Sed dic, rogo, nihil tibi pecuniæ dedit pater? *B.* Ne petivi qui-

 dem

dem. *A.* Tamen ſponte dedit? *B.* Aliquantulum.
A. Quantum igitur? *B.* Perpuſillum. *A.* Dic ſodes.
B. Cur tam avide inquiris? *A.* Ut amicorum more
tibi gratuler. *B.* Nihil eſt gratulatione dignum.
A. Fatere tandem, quid ſit. *B.* Soli aſſes quinque.
4. *A.* Hui tantillum! o ſtulte, qui non petieris duos
aut tres decuſſes argenteos! *B.* Non auſus ſum.
A. Quid verebare? *B.* Ut plane denegaret atque
ægre ferret, quod peterem. *A.* Nunquam id fe-
ciſſet: modo petendi cauſam addidiſſes. *B.* Cre-
do equidem; ſed quid cauſæ attuliſſem? *A.* Ro-
gas? nonne ſunt res ſexcentæ, quibus indiget
uſus ſcholaſticus? *B.* Multæ ſunt, fateor. *A.* Tu
vero adeone abundas rebus omnibus, ut tibi
deſit nihil? *B.* Immo deſunt plurima: ſed quibus
facile caream: Præterea ſatis novit Pater, quæ
mihi opus ſunt, tum ſtudiorum cauſa, tum ad
victum cultumque corporis. *A.* Novit quidem;
ſed alia multa ſunt illi & curanda & cogitanda.
B. Credo, eſſe illi præcipuam librorum curam.
A. Sed nimis ab eo remotus es. *B.* Sine me per-
5. venire, quo volo. *A.* Age, ſino. *B.* Novit etiam
pater, me nondum eſſe idoneum ad recte tra-
ctandam pecuniam. *A.* Cur non? an ad eam rem
non ſatis ætatis habes atque prudentiæ? *B.* Iſt-
hinc abſum longiſſime. Itaque Pater dedit Præ-
ceptori in mandatis, ut omnia mihi ſuppeditet
ad uſus vitæ ſtudiorumque neceſſarios; ad
quam rem præbet illi, quantum ſatis eſt pecu-
6. niæ. *A.* Eſto. *B.* Ergo ſi quid à Patre peterem, me
ſtatim ad Præceptorem remitteret: fortaſſis et-
iam iraſceretur, & me graviter objurgaret. *A.* Fa-
cile

Digitized by Google

cile eſt objurgationem pati, modo ne ſequantur „verbera. *B.* Facile eſt, credo; ſed iis duntaxat, „quos neque pudor movet, neque ulla paren- „tum reverentia. Ego autem ipſa verbera ferre „malim, quam patris irati objurgationem. Ex „quo fit, ut ſedulo caveam, ne quid illi præbeam „cauſæ ad iraſcendum. Id enim ſub quarto præ- „cepto divinæ legis continetur. *A.* Facis, ut pium decet adoleſcentem. *B.* Ejus rei laus non mihi, ſed ſoli DEO tribuenda eſt. *A.* Nempe à quo proficiſcitur, quicquid nobis ineſt boni. *B.* Faxit ille, ut, quæ bona inſpirat nobis, ea ſequamur animo promtiſſimo. Sed ut ad te redeam: feriòne reprehendebas, quod nullam pecuniam à patre petiviſſem? *A.* An ego te vellem ad fallendum Patrem inducere? *B.* Mihi quidem non fit veriſimile: Me tamen ipſum fefelliſti. *A.* Quomodo? *B.* Quia ſerio loqui videbaris: adeo aptè vultum verbis ipſis accommodabas. *A.* Sed quid cenſes de hac noſtra confabulatione? *B.* Argumentum ſatis aptum dediſti nobis in hoc otio noſtro veſpertino. *A.* Ecquid habuit ſermo noſter, quod reprehendiſſet obſervator, ſi forte, ut ſolet, nos obſervaſſet ex inſidiis. *B.* Nihil, ut opinor. *A.* Profecto verum eſt, quod ſæpe Præceptor nobis inculcat. *B.* Quid illud eſt? *A.* Latinæ linguæ copiam & facultatem comparari his potiſſimum rebus: ſæpe ſcribendo, confabulando, legendis auctoribus; Germanica Latinè, aut Latina Germanicè vertendo. *B.* Ergo his rebus diligenter nos exerceamus, adjutore Domino DEO, in cujus manu ſita

Digitized by Google

ſunt ſtudia noſtra omnia. *A.* Idem faxit, ut ejus erga nos beneficia vero cultu dignisque laudibus perpetuò celebremus. *B.*

Hoc opus, hoc ſtudium, parvi properemus & ampli!
Sit precor, hæc voti ſumma caputque mei.

A. Sed audi horologium. *B.* Nos opportune admonet: Itaque deſiſtamus. Alioqui ſolis nos occaſus hic opprimet.

COLLOQ. XXXVIII.

Petitio prodeambulationis.

JOSEPHUS. WENDELINUS.
EZECHIAS. PÆDAGOGUS.

Quod caret alterna requie durabile non eſt;
Hæc reparat vires, feſſaque membra levat.

Ovidius.

W. Nec me offenderit luſus in pueris, eſt & hoc alacritatis ſignum. Quintilianus. *E.* Nulla res eſt, quæ perferre poſſit continuum laborem. Quintilianus. *P.* Video, quorſum ſpectent iſta, nimirum, ut vos ambulatum ducam: ſed eandem cantilenam ſemper fere cantatis, ut ſolent veſtræ aviculæ. *J.* Quid ergo vis, dicamus, Præceptor? *P.* Dicite poſthac ſuam quisque ſententiam ex Novo Teſtamento. *W.* Euge, nihil nobis erit facilius. Habemus enim in promptu magnam earum copiam. Vis ergo, Præceptor, ut jam nunc incipiamus? *P.* Sane velim, quando, ut ais, tanta eſt vobis copia. *W.* Quis incipiet? *P.* Tu Joſephe, vis honoris tui cauſa hujus rei ſpecimen edere? *J.* Id ego libenter faciam: Sed DEI honoris cauſa. *P.* Laudo iſtud verbum. Divi-

Digitized by Google

Divinus enim honor & gloria omnibus in rebus eſt præferenda. Eja, incipe, ſi quid habes. *J.* Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non poteſtis ingredi in regnum cœlorum, Matth. 5. cap. *W.* Depoſito mendacio loquimini veritatem quisque proximo ſuo, ad Epheſ. cap. 4 *E.* Filii, obedite parentibus in omnibus, Hoc enim placet Domino, ad Coloſſenſes 3. *P.* Euge bonum ſpecimen: videte, ut progreſſus reſpondeat, hoc eſt, ut pergatis impoſterum diligenter. *J.* Qui nobis principium dedit, dabit idem ſucceſſus proſperos. *P.* Ita ſperandum eſt; parate vos, ut prodire maturemus. *J.* Mox aderimus paratiſſimi. *P.* Sumite quisque ſuum pallium, ut prodeatis honeſtius. Sed heus pueri! *W.* Quid vis, Præceptor? *P.* Videte, ut Pſalmos etiam afferatis: Alicubi in umbra cantabimus. *E.* Ita fiet ambulatio noſtra jucundior.

COLLOQ. XXXIX.

Abſentia à Schola. Vacatio. Prodeambulatio.

VINCENTIUS. MACARIUS.

FUiſtine hodie in Gymnaſio? *M.* Fui. Tu verò quid agebas? *V.* Eram domi occupatus. *M.* Id evenit præter morem tuum. Soles enim abeſſe rarius. *V.* Quam poſſum rariſſime. Quid autem actum eſt? *M.* Nihil prorſus. *V.* Ergone remiſſionem habemus? *M.* Propter mercatum hodiernum. *V.* Quis dedit? *M.* Ludimagiſter, permiſſu tamen Rectoris. *V.* Quid conceſſit? *M.* Vacationem ab omni munere ſcholaſtico. *V.* An in totum diem? *M.* A mane

ad occaſum usque ſolis; tametſi diligenter & multis quidem verbis admonuit, ut in otio de negotio cogitaremus, ne cras in ludum veniremus imparati. *V.* Quid igitur nos? Hoccine abutamur otio? *M.* Id vero ætatem noſtram decet minime. *V.* Tu ergo quid paras facere? *M.* Me recipere in muſæolum, niſi forte tibi magis placet, ut ſesquihoram aliquò prodeamus ambulatum. *V.* Egone recuſarem? Imo nihil eſt, quod nunc magis velim. Nam & nos interea tractabimus aliquem ſermonem literarium, & ſimul corpus exercebimus. *M.* Eamus igitur extra urbem. *V.* Quònam? *M.* Ad fontem lupinum. *V.* Valde iſtud mihi arridet; ſed tu, ſi placet, me expectabis. *M.* Quamdiu? *V.* Tantiſper, dum crepidas eo mutatum calceis. *M.* Ubi vis expectari? *V.* Ad portam orientalem. *M.* At vide, ne me fallas. *V.* An ego amicum fallerem; quum ſciam, etiam inimico ſervandam eſſe fidem? *M.* Abi, feſtina; ego, dum te opperior, aliquid interim legam. *V.* Salve Macari. *M.* Quis iſte ſalutator? *V.* Ecce redii. *M.* Eho! tam cito? mihi videris volaſſe. *V.* Nimirum affectus ipſe pedibus alas addidit. *M.* Eamus nunc, ducente DEO. *V.* Solus DEus eſt, qui ſuos ducit ac reducit. *M.* Maturemus, longiuſculè fons ille hinc abeſt. *V.* Tanto melius prandebimus; perge.

JOACHIMI CAMERARII.

DIALOGUS DE GYMNASIIS.

HOSPES. PUER.

QUid eſt uſitatum vobis facere exercitii? P. Exercitii quid requiris? *H.* Sic dico, quia neque

que libenter corpora puerilia, neque utiliter quieſcunt multum: ideò quo genere quaſi Gymnaſiorum utamini ſcire cupio. Nam fuit hoc inter alia veterum inſtituta laudatiſſimum,ut publice etiam tenella corpora forma- ,, rentur atque corroborarentur. Quod quidem ,, intercidiſſe cum maximo detrimento apparet. *P.* Sic noſtrum quoque Magiſtrum loqui audimus. *H.* Eſt etiam hoc amplius aliquid, ut opinor. *P.* Recte opinaris. Nam neque animum rectè curari atque fingi neglecto corpore: neque hoc ſine illo poſſe docet, itaque ,, aut valere ſimul aut deficere utramque diſci- ,, plinam neceſſe eſt. *H.* Ita eſt profecto. *P.* Cum igitur eruditio animorum, in quâ Muſicam primas tenere ait, oppreſſa eſſet Barbarie, una cum illa hanc etiam educationis bonitatem fuiſſe deletam, ut, ubi animi eſſent inculti atque horridi, ibi corpora quoque vaſta & immania, aut infirma & muliebria remanerent. *H.* Concedit tamen, niſi fallor, etiam priusquam eruditio quaſi fruticari denuo cœperit, uſurpaſſe noſtros quoque homines, illosque etiam veteres indoctos atque bellatores multo magis, ad quos ne fama quidem & elegantiæ & doctrinæ pervenerit: eas igitur uſurpaſſe tamen exercitationes, quarum ad patrum noſtrorum memoriam quandam retinuerint ſimilitudinem. Quo tempore omnis laus & virtus gentis noſtræ cœpit collabi. *P.* Minimè fal-

Antiquitas.

Auctoritas.

Uſurpatio apud veteres Germanos.

Aſperitas Gy-

mnaſiorum apud veteres Germanos. leris. Sed illa ad reliquam vitam dura nimis & aſpera fuiſſe exiſtimat. Neque tempori, neque locis, neque hominibus accommodari ſolita: plena periculi omnia, nonnulla tamen præcipuè & omnino quædam præſentis, ut credibile valde ſit, quod de Germanis Græci tradiderunt, conſueviſſe eos primum natos parvulos filios ſuos in flumine mergere, aquæ frigore durantes cutem, quo commodius adulti aliquando ſub illo cœli tractu experti fere caloris, vitam degerent. *H.* Quid dixit igitur illos feciſſe? *P.* Quid enim? niſi vehementia & intempeſtiva omnia, & impetu quodam peneque furore animi, equitando, eoque inprimis currendo, ſaltando, pugnando in equis & pedibus, tranando rapidiſſimos amnes, jaciendis pro diſco ponderoſiſſimis ſaxis. Quid multa? neque modo, nec ratione ab illis quicquam eſſe factitatum, itaque non habuiſſe utilitatis multum Gymnaſia illa. Quid quod a refertis cibo ac potu, quibus noſtri parce uti neſciunt, decurſum ad Gymnaſia; atque inde ad potationes & epulas reditum, ac tum demum ad ſomnum deventum eſſe ſcimus. Quo quid perverſius fieri poſſet? Neque dubium eſt, quin, ſi qui tali in vita valetudine bona fuerint & ſano corpore, hi longè hoc nomine celeberrimos apud veteres anteceſſerint? quales Milones & Poly-

Naturæ præſtantia eſt, quæ vel perniciosa vincit.

Polydamantes fuiſſe memorant. *H.* Mirum hoc videtur. *P.* Ita enim bonam fuiſſe naturam putat, ut etiam contraria & inimica ſibi aſſumeret, & in bonum converteret. Quod cum fiat, nihil poſtea illum admodum lædere: ut de Mithridate Rege traditum ſit, veneno illum nutriri ad oſtentationem conſueviſſe. Sed de his non multum nobis narrat, diligentior in cura veræ ac rectæ inſtitutionis. *H.* Quid igitur rationis inivit ipſe? Aut quomodo priora mutat? *P.* Audies: primum omnium tempus modumque præfinit, de tempore hoc monet, Exercitationes ut ante fiant, quam cibus capiatur. Modus autem pro ætate noſtra conſtituitur. *H.* De tempore videor intelligere. Nam ante cœnam maximè vult exerceri vos. *P.* Intelligis? ſed & aliud eſt genus exercitationis, corporibus teneris utiliſſimum, quod ipſe dicit rectius poſt cibum capeſſendum. Itaque prandio cœnaque perfunctis proponit. *H.* Aveo, quid id ſit, cognoſcere. *P.* Magis memini certo, quam plane intelligo. *H.* Dic igitur, quod meminiſti. *P.* Caloris ait fieri beneficio, ut cibus concoquatur. Ad bene autem & commode dirigendum, ſubtilitate & tenuitate cum ipſius humoris, tum ſpirituum opus eſſe. *H.* Omnes hoc fatentur. *P.* Cantare igitur nos jubet, & à cibo voce contendere: aut clarum legere aut recitare, quæ memoriæ mandaverimus. *H.* Eaque efficere, quod dixiſti. Quo tan-

Emendatio Gymnaſiorum, tempus ludorum.

Ante cibum.

A cibo ludicra.

Muſica & vocis intentio.

Effectus & utilitas exercitiorum à cibo.

tandem modo? *P.* Eodem quidem omnia, ſed non ſimiliter: Propterea quod alia intenta ſint magis ac vehementia aliis. Nam vocem eſſe dicit quandam ſpiritus agitationem, ventilantem aërem lingua quaſi flagello. Illum autem motum non eſſe levem, neque in ipſo palato naſcentem: ſed tanquam ex imis exiſtere viſceribus, atque ut auras matutinas progreſſu ſuo creſcere: atque ita pervadentem per totum ab ipſis pulmonibus corpus, cum ipſum calorem quaſi inflammare, tum vero ſanguinis liquidum & purum incitare flumen. Itaque ad venas limpida omnia tum vehere, neque in arteriis quicquam velut obicem colligere, quo vitales flatus retuſi in corpore, ut ſolent, tumultuentur. Ex his omnibus hoc commodi conſequi docet, ut illis in partibus corporis, quæ conceptacula & à Græcis vaſa dicuntur, & alimoniæ ipſius & nutritionis inſtrumenta, nihil ſpiſſitudinis & ſuperfluæ quaſi fecis inſideat, atque adhæreſcat. *H.* Laudo memoriam tuam: quæ etiam ipſa intelligentiam tuam mihi probat. *P.* Alias rationes abſolutæ exercitationis magis memini deplorare eum ſolere, quam nobis exponere, atque oſtendere: fruſtra enim ſe facturum autumat. *H.* Omnia mihi, quæ narras, vehementer placent. Sed ad modum redi.

II Modus ludorum ex loci

Quis igitur modus ſervatur? *P.* Vides, quantulus ego ſim, meique æquales, tenera & parvula corpuſcula, ad quæ reſpicit, cum

jubet,

jubet,quibus nos quaſi agitationibus exerce- *quali-*
amus. Et jam hoc conſiderat,quibus recte *tate.*
liceat in hac ædium anguſtia, ubi neque pa-
læſtra apparari, neque arena ſpargi poſſit;
ſed ubique ſuppactum ſubſit, & durum ſo-
lum. Etſi educimur ſæpe quidem numero *Sub dio*
cœlo ſereno, extra portam in campum, ubi *ludi-*
luctationes quoque aggredimur & digladia- *cra.*
tiones, & pilam jacimus, & ſpatia decurri- *1. 2.*
mus. *H.*Sed nunc umbratica recenſe. *P.*Quæ *3. 4.*
neque palæſtram, neque pulverem deſide- *Umbratici ludi intra ædium parietes*
rent? *H.* Ita inquam. *P.* Horum eſt, quod
ſuſpenſos apprehendimus funes, aut tignis
impactam perticam, tenemusque quamdiu *1. 2.*
poſſumus. Aut in demiſſum funem inſertis *3.*
pedibus progredi, quam longiſſime manibus *4.*
conamur. Quam ſolet ipſe rem peranti-
quam utilemque eſſe viſam dicere: ac no-
men nuper Pædagogo noſtro Græcum illud *5.*
memorabat. Præterea conſiſtit aliquis in
medio, & brachia aut diſtendit, ulnamque
aperit, aut jungit ad pectus atque inflectit:
alterumque qui velit, jubeat illa inflectere
aut explicare, inter hac linea præfiniuntur *6.*
ſpacia, quatenus retrocedere, aut in obli-
quum abire conceſſum ſit. Item unus alte-
rum medium complectitur, jubetque vin- *7.*
culum eum diſſolvere. Nec non manum ali- *8.*
quis comprimit, ut pugnus ſit: jubetque al-
terum explanare, ut fiat palma. Jam & hoc
ſolemus: Deſignata poſt utrumque linea
conſerto pectore, alter conari ad ſuam alte-

rum

rum adigere retro lineam. Solemus & mediocre pondus, uno in loco ſtantes, vel remotius attollere, vel aliquo usque deponere.

9. *Alea an pueris permittenda?* Huc pertinent & ludicra, quæ hanc ætatem dicit ſedentariis decere nulla. Qualia quidem totius aleæ fuerint, etſi ex his quoque aliquid nobis permittitur. *H.* Metuit, credo, ne juvenes aliquando ignoretis, niſi pueri didiceritis. *P.* Vis rationes illius cognoſcere? *H.* Pervolo. *P.* Inter jocationes & ludos hoc quoque genus ponit. *H.* Sed pars hæc dedecus habet. *P.* Ipſe ſæpe dicit: ſed hæc tempora conſuetudinis vi vincere, & obtinere, ut pro flagitioſis aleatores non habeantur. Itaque aleæ uſum neceſſum eſt valdè increbeſcere. *H.* Indulget igitur vobis in vitio? *P.* Minimè. Verum fieri non poſſe exiſtimat, ut quod omnes conceſſum ſibi putent, id nobis totum eripiat, & tentare cum magno diſcrimine non vult. *H.* Quid diſcriminis mihi narras? *P.* Scis, quid fieri ſoleat illo tempore, quod autumnum antecedit proximè, cum fructus omnis generis maturuêre. *H.* Quid neſciam? Tum enim illi càrpuntur eduntur que avide. *P.* Fitne hoc utiliter? *H.* Profluvia ventris & febres & regium malum docent. *P.* Quid igitur tum matres faciunt, cum metuunt pueris ſuis? *H.* Quid? certo tempore diei aliquid præbent illorum, quo palam modice potius veſcantur, quam clanculum cum magno detrimento valetudinis; ſi prorſus negentur, ſeſe

MOTORIA LVDICRA

ſeſe illis repleant. *P.* Ad eundem modum
permittendum pueris cum alias jocationes
atque ludos, tum aleam ipſam cenſet, ut
conceſſis liberè utentes, negatis facilius
abſtineant. Ita fruituros ſtudiorum relaxa- *Niti-*
tione, & copia facta hilaritatis eaque con- *mur in*
tentos, non tam repletos, quam recreatos, *vetitum*
omnes alias uſurpationes ludorum atque *ſemper cupimus*
jocorum vitaturos exiſtimat. *H.* De hac par- *que ne-*
te, & generibus conceſſorum ludorum, *gata.*
alias te audiam. Nunc perge motoria ludicra *Motoria*
exequi. *P.* Veteris ea ſunt moris Græci, con- *ludicr.*
ſentanea ferè cum noſtro, qualibus ille ſe *Auctoritas.*
dicit potiſſimum delectari. Ludimus cœ-
cum igitur muſculum: ſic enim vocant:
cum unus in medio occluſis oculis circum- Blinde
curſitantes & vellicantes alios captat. Ve- Kuh.
teribus fuiſſe æneam muſcam dicit. Solet & 2.
aliquis in tergo manus conſtringere, & in-
ſidentem genibus aliquo usque geſtare. Ha- 3.
bemus & pilulas fictiles, quibus certamus, Schnel-
configentes quisque ſuis aliorum, & in ligen.
foſſulas certis ſpatiis inter ſe diſtantes, im-
pellentes, in quo eſt certe manus laus. Et-
iam æneis numiſmatis projectis ad lineam
& in ſeſe, ſimile eſt certamen. Ludimus & 4.
quod noſtra linguâ Vaccæ latebras nomi-
namus: Veteres dicit vocaſſe diffugium. *H.*
Non agnoſco. *P.* Uni, qui primum ſortito 5.
conſtituitur, ſtanti præfinito in loco com- Verſte-
primuntur oculi. Quo facto diſcurſitamus cken,
omnes & latebras quærimus. At ille prius Verkri-
chen.

ter

ter, ſe venturum minari debet, quam oculos aperiat. Ubi ter dixit: Venio: circumit & veſtigat omnia loca: ſi quem conſpexit, recurrit in ſuum locum, clamans: Inveni: & ubi & quem explicat. Omnibus igitur ſtudium hoc eſt, illum latentes antevertere, & in ipſius locum ſubire. Qvod ſi quis effecit, & occupavit prius locum, quam ille, indicat adhuc deliteſcentibus provocatione ſua, jubetque adeſſe. Ita illi iterum oculi, ut ante, concluduntur; ſin ipſe invento aliquo recurrit primus in locum ſuum, is, qui inventus eſt, pro ipſo connivet. Eſt & ejusmodi quædam nobis in uſu diſcurſio: In duas
6. partes diſtribuimur: Tum ſorte ducitur, qui in medio ſtans circumagat orbiculum, cujus una nigella ſit, altera candida facies. Sortito autem proprius ſit alteruter color alterius utrius partis. Tum ille, qui orbicutum intorquet, acclamat: vel dies vel nox. Utrius igitur partis color apparuerit, poſt vertiginem orbiculi: ea fugit, alteri ſectantur, dum comprehendant aliquem. Atque is poſtea orbiculum verſat, & aſinus nuncupatur. *H.* Sed inter hæc, non enim adeſſe aliquis ſemper quaſi gubernator poteſt, videre mihi videor frequentes incurſiones, lapſus, alluſiones: tum autem in dictis & factis peccata animadvertenda. Qvid igitur fit? *P.* Fateor, offenſiones non abſunt: neque ipſe tamen quicquam omittit, quo interverti poſſe videantur. In ipſo vero & exercita-

Hic ludus eſt ὀςρακίδα luſ. Pol. juc. Eraſ. Proverb. Teſtulæ transmutatio, ob jectio: detrimentis & delictis inter ludicra;

ercitationum motu & ludorum quiete, ignoſci nobis ſolet, ſi quid admiſſum ſit & delictum, modo abſque procacitate, furore, flagitio. His enim veniam negat dari oportere, cujus quidem in aliis locum ſibi eſſe apud magiſtrum, notum exploratumque pueros habere, valde prodeſſe arbitratur. *H.* Ut contemtores & negligentes reddantur. *P.* Minimè verò; ac multò curare agit atque metuere magis, quam ſi plagis tanquam aſini obtundantur. Durari enim aſſiduitate cum animos, tum corpora, ad verbera & objurgationes quotidianas magiſtrorum: neque in magno tum poni diſcrimine, fiatne quod illi placeat, an quo offendatur, deſtinato animo ad malum perpetiendum. Itaque in hoc propoſito non ſolum non vitari delicta: ſed ne celari quidem tandem ſtudioſe ſolere. Aut ſi qui ſunt molliores, eorum frangi atque debilitari mentes, & quodam ſervili timore imbui; unde vel illud, quod modo dixi, incommodum etiam exiſtat, aut contrarium perpetuæ trepidationis & formidinis, in qua nihil laudabiliter geri poſſe affirmat, cum ulla in re, tum maximè literarum atque artium ſtudio; quod voluntate promta & alacritate continuatur univerſum. *H.* Deducis tu quidem me ad aliam Scholam Magiſtri tui, quam recordari habitam ab illo videre. *P.* Ita eſt, ut dicis. *H.* Vin igitur mihi gratificari? *P.* Si queam: quod enim non rectum ſit, te non eſſe impera-

ἐπιείκεια. Pudore & liberalitate. Ter. Quintil. lib. contra Orbilos & Dionyſios.

peraturum ſcio. *H.* Nunc quidem, quia ſatis verborum factum videtur, hunc finem ſtatuamus colloquio noſtro. Proximè autem, cum otium utrique erit, explicabis mihi hanc partem, vel animadverſionis ob delicta, vel veniæ, vel quid de verberibus atque plagis tuo Magiſtro probetur aut improbetur. Nam de his, quæ expoſuiſti, judicium illius & ſententiam magnifacere incipio. *P.* Faciam, ut vis. *H.* Vale. *P.* Et tu vale. Sed quò nunc abis? *H.* Ad cives meos, qui mecum advenêre, quibus hanc me operam daturum conſtitui. *P.* Benè ambula.

PYTHAGOREA MEMORIÆ EXERCITATIO.

Dialogus cum omnibus ſtudioſis, tum Ludimagiſtris, ad exercendos adoleſcentes utilis & accommodatus.

Cicero in Catone Majore.

Pythagoreorum more exercendæ memoriæ gratia, quid quoque die dixerim, audierim, egerim, commemoro veſperi. Hæ ſunt exercitationes ingenii, hæc curricula mentis, &c.

EXERCENDÆ MEMORIÆ RATIO, DIALOGUS.

PRÆCEPTOR. DANIEL.

QVoties, Daniel, te ſum hortatus, ut Pythagoreorum more memoriam exerceres, ac ea veſperi mihi commemorares, quæ quoque die audiſſes, dixiſſes, egiſſes? *D.* Ego verò, mi Præceptor, ſæpe ſum ad normam iſtorum me exercere conatus, te hortante & exigente: ſed neſcio, quomodo ſtatim

ſtatim memoria labor, adeò, ut ne primæ quidem horæ à matutina ſurrectione dicta, facta & audita commemorare fideliter poſſim. *P.* Eſt ita, ut dicis: ſed ſi iſtam artem toties admonitus, ſæpe meditatus es, non dubito, quin hoc, quod exigo, facilius poſſis, quam antea, cum ea eſſet inſolens exercitatio. Age igitur, experiamur, quid meditando profeceris. Ordire à reſurrectione matutina; quotâ ſoles ſurgere? *D.* Quartâ propè quotidiè. *P.* Quid tu eâ horâ agis, dicis, audis? *D.* Primum, omnibus tegumentis ornatus, DEO gratias ago, quod me nocte ſervarit, miſericordia me proſequutus: precor eundem, ut diem illuceſcentem mihi fortunet, in ipſius honorem. *P.* Hæc vero precatio Chriſtiano homine, non Pythagoreo digna. Sed perge. *D.* Sumo in manus librum, in quo locum memoria dignum, & à Magiſtris commendatum ediſco. *P.* Quid igitur hodiè memoriæ theſauro commendaſti? *D.* Illa Euripidis ex Oreſte carmina, quæ varias hominum calamitates continent; idque feci non ſemel monitus. *P.* Illa mihi nunc redde. *D.*

> *Οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν, ὡς εἰπεῖν ἔπος,*
> *Οὐδὲν πάθος, οὐδὲ συμφορὰ θεήλατος,*
> *Ἧς οὐκ ἀναναιρειτὶ ἄχθος ἀνθρώπου φύσις*

P. Redde etiam Latine, ſi potes.

D. Non eſt ullum malum, ut dicam verbo,
Neque morbus, neque calamitas à diis immiſſa,
Cujus non ferat onus hominis natura.

P. Pergamus porro, quid quintâ? *D.* In iisdem ſtudiis quintam conſumſi. *P.* Ad ſextam veniendum.

 D. Au-

D. Audivi concionem ſacram, in precibus ſacris Patrem cœleſtem oravi, ut recta mihi ſemper viâ doctrinam divinam ſectari liceat. *P.* Nimis moleſtus ſim, ſi totam exigam concionem, audiam alias, ubi fueris in hac ratione exercitationis robuſtior. Quod nunc dico, faciam. Ergo quotidie efficito, ut attentiſſimè audias, memoriam excolas ſummâ diligentiâ. *D.* Faciam vero. *P.* Ad ſeptimam properemus. *D.* Audivi nihil, Germanica præſcripta Latinè converti, quanta potui, maxima proprietate. *P.* Tranſeamus ad octavam. *D.* Hæc plerumque in eodem ſtudio à me conſumitur, aut in iis, quæ à te mandata fuerunt, exſcribendis impenditur. *P.* Laudo inſtitutum. Jam ad nonam. *D.* Ea eſt prandii hora: aliquid, ut ſcis, è ſacris Bibliis te audiente lego. *P.* Quid deinde? *D.* Filius tuus menſam precatione conſecrat, itaque ad menſam conſidemus. *P.* Tu quid in menſa? *D.* Audio multa & varia: illud vero quotidianum eſt, ut concionis partes ab uxore tua exigas, meque aliquoties de iisdem percuncteris. Nam ſi quid relatu dignum audieris, id fere nobis inter prandendum ſuaviter & jucunde commemoras, ut publice orbis principes inſtituere aut moliri dicantur. *P.* Hic quoque nolo hac prima exercitatione ſingula exigere, ne difficultate debilitatus, hoc quod quærimus, te conſequi poſſe deſperes. Prandio confecto quid agitur? *D.* Mea ſcripta ad te defero emendanda. In hortum deinde deſcendimus. *P.* Undecima quid habet utilitatis? *D.* Ciceronis de Oratore libros audio. *P.* Nimis longum eſſet omnia prælecta exigere; nunc mihi ſatis eſt, ſingulorum me-

memoriam aliquam animadvertere in animo tuo impreſſam: quare jam duodecima examinanda eſt. Hac igitur quid ſit? *D.* Hac quoque auditor ſum: Sed è Latio, te duce, in Græciam ſine navi navigo, qui nobis Græcas literas Latinè interpretaris. *P.* Satis eſt; cum enim alias audita fideliter reddideris, idem nunc quoque te poſſe præſtare arbitror. Neque enim factus mihi videris ſegnior, aut minus ſtudioſus; In primam ergo pomeridianam inquiramus *D.* Ea ipſa Græcorum rudimentis & fabularum Æſopicarum auditione magna ex parte, ut ſcis, conſumitur. *P.* Quid igitur poſt hanc prælectionem? quæ te ſtudia delectant? *D.* Quod ſupereſt de prima, colloquio & diſputationi familiari attribuitur, partim in ipſo auditorio, partim in via, cum in ædes revertimur. *P.* Secundam jam videamus. *D.* Hoc tempore Cæſarem, autorem linguæ latinæ maximum lego, & quæ ad latinam proprietatem pertinent, quantum poſſum, obſervo & ediſco. *P.* Sequitur tertia, cujus ratio tibi reddenda eſt. *D.* Ad audiendum Ciceronis librum de ſenectute me confero, non ſine utilitate, quantum quidem judicare poſſum. *P.* Feſtinandum eſt ad quartam. Jam enim nona, quæ eſt ſomni capiendi tempus, inſtat. *D.* Tum epigrammata græca & repeto audita, & deſcribo audienda, tuis parens monitis. *P.* Quartæ ſuccedit quinta, cujus rationem breviter reddito. *D.* Hæc eandem fere habet rationem, quam nona antemeridiana, nam cœnationi dicta eſt. *P.* Ergo, ne te obtundam, ad ſextam tranſeo. *D.* Hoc verno tempore, cum ſudum eſt, imus nonnunquam in proximos agros

Digitized by Google

deambulatum, valetudinis animique levandi cauſa, qua de ambulatione miram voluptatem cum utilitate pari percipio. *P.* Diſertius explicato. *D.* Herbarum tum nomina, tum vires, ut occaſio obtulerit, docere ſoles ex Dioſcoridis ſententia; nec linguæ latinæ inſtitutionem & exercitationem hic prætermittis. *P.* Quid ſi non fuerit ſudum? *D.* Domi nos continemus, chelyn pulſo, ad hanc carmina ſacra cano, quod ſtudium vehementer laudare ſoles. *P.* Equidem, cur improbem, nihil habeo; nunc ſeptimam expecto. *D.* Sæpenumero cum ſexta continuatur, præſertim cum rus egredimur; cum domi remanemus, poſito trichordio, literarum ſtudia repeto. Si literis amicorum reſpondendum fuerit, id tempus libenter huic rationi impendo. *P.* Ad octavam, id eſt, ad hanc, in qua ſumus divina benignitate, & incolumes vivimus, placet, ut veniamus. *D.* Quid jam hac hora egerim, non neceſſe eſt, ut tibi dicam; ſi quid ſuperioribus diebus requiris, conabor. *P.* Superiorum requiro rationem. *D.* Interea dum tu uxorem de Germanicis Bibliis legentem audis, Hebraica inſpiciens, ipſe aliquoties Biblia Græca inſpicio, ut & Græce diſcam & ſacra à teneris imbibam; Quo ſtudio nihil eſſe præſtantius, ſexcenties ex te audivi. *P.* Nona auditur; Jam te dimitto, ne, ſi te diutius teneam, matutinum tempus, quod eſt muſis amicum, ſomno conſumere cogaris. *D.* Vale, Præceptor obſervande, DEus tibi hanc noctem fortunet totique familiæ. *P.* Poſtremum hoc te moneo, ut ſemper in mentem tibi veniat illius Homeri verſus, in cubiculi tui janua deſcriptus:

Αἰσχρόν

Αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν, κενεόν τε νέεσθαι.

D. Illud à me, ſi volet Dominus, non negligetur.

COLLOQVIUM
DE ARTIS GRAMMATICÆ. MIRACULIS.
DISCIPULUS. PRÆCEPTOR.

SÆpe ego, chariſſime mi Præceptor, miratus ſum, quod apud Varronem Coſconius unius vocis tantam fœcunditatem eſſe ratiocinatur, ut ex ea quingentas ſe alias formando & inflectendo deducere poſſe glorietur. *P.* At mirari deſines, mi fili, ſi primo cogitaveris, quam admirabile & ſtupendum ſit, quod pauciſſimis illis quatuor & viginti literarum notis tam variarum infinitarumque adeo vocum ſymbola contineantur, quibus omnia mentis noſtræ ſenſa, omnes animi cogitationes & enunciantur & deſcribuntur, ita quidem, ut in omnibus libris & voluminibus tam manu exaratis, quam characteribus typorum impreſſis, in omnibus denique toto orbe terrarum Bibliothecis ultra iſtas viginti quatuor literas, ſi videlicet nudos tantum characteres inveſtigari libeat, nihil præterea ſis inventurus. *D.* Ó rem merito non ſolum admirabilem, verum etiam ſtupendam! *P.* Quod ſi hoc tibi, qui tamdiu in literis verſatus es, accidit, quid ineruditis & barbaris cenſes eventurum? De quorum nonnullis in novo, quem vocant, orbe, noſtra & patrum ætate per periculoſas & antea inuſitatas navigationes reperto, habitantibus narratur, nihil ipſis admirabilius viſum eſſe, quam parva aliqua

charta, pauciſſimis notis diſtincta, & quaſi interpuncta de his rebus, quæ in diverſo orbe gererentur, aliquem ſic fieri poſſe certiorem, ut illas non tam oculis legere, quam, charta quaſi internuncia & narrante, auribus percipere videretur. Itaque ſi quando Hiſpani literas ad aliquem abſentem perferendas Indis illis darent, nunquam illi cogitando aſſequi poterant, qua ratione fieret, ut charta alba nigro diſtincta alloqui eum, cui hujusmodi literæ exhiberentur, poſſet. Non enim niſi per allocutionem tale quid fieri poſſe ſibi imaginabantur, cum ipſi inter ſe nullo alio quippiam alteri ſignificandi modo uti ſcirent. *D.* Ego ſane barbarorum illorum admirationem minime miror, utpote qui ipſe quoque ab ea temperare mihi nondum etiam poſſum. *P.* Quid igitur facies, ſi id, quod jam ad quæſtionem tuam reſpondeo, probe & accurate perpenderis? *D.* Ita ſane faciam libentiſſime. *P.* Coſconium igitur apud Varronem id ratiocinari non ignoro. Sed tamen ipſum eum non ſatis accurate ſolideque facere idem aſſevero. Si enim in unicum verbum, doceo, diligentius inquiſiviſſet, plures quam mille ſexcentas quadraginta alias voces, ex ea deducere potuiſſet. *D.* Atqui hac ratione, ut video, Varronis illa ubertas longiſſime ſuperatur. *P.* Dubiumne id eſt? ſed nos tamen exempli gratia majoris adhuc fœcunditatis vocem, nomen nimirum monoſyllabum, Dux, tribus tantum, ut vides, elementis conſtans, examinabimus, atque in eo tibi oſtendemus, ex una illa voce, vocum ſupra millia quatuor effici poſſe. Tu iſtis cognitis ſimile quid in aliis quoque compluribus experieris, quod quidem

quidem non ſine maximo ſtudiorum tuorum incremento & fructu facies. *D.* Faciam, ut jubes. Tu modo, ſuaviſſime Præceptor, hic meæ admirationi & deſiderio quamprimum ſatisfacere, meque adeo voluptate iſta explere, quæſo, ne graveris. *P.* Tu igitur primò mihi recita verba & voces, quæ ab hoc nomine Dux formantur. *D.* A Dux, ducis, duci, formatur verbum Duco, item compoſita redux & tradux, deinde à Duco iterum ſunt, ductus, ductio, ducatus, ductor, ductarius, ductilis, ductitius, ductim, ducto, ductito. *P.* Da jam ab eodem verbo compoſita. *D.* Ea erunt numero, ſi recte memini, viginti, nimirum: Abduco, Conduco, Contraduco, Circumduco, Deduco, Diduco, Educo, Induco, Obduco, Perduco, Produco, Reduco, Seduco, Superduco, Superinduco, Traduco. *P.* Recte dixiſti. *D.* Jam ordine præter participia, alias voces, quæ ab his compoſitis deſcendunt. Ab Abduco, ſecundum analogiam recte videtur dici abductor, à Conduco, conductum, conductor, conductio, conducibilis, conductitius. A Contraduco, forte contraductor, & contraductio. A Circumduco, circumductor, circumductio & circumductus, quartæ declinationis. A Deduco, deductus, deductior, deductio, deductor, deducto, are. A diduco forte non male quoque dixerim diductio, ſicuti ab Educo, eductio, ab Educo, educatio. Ab induco, inductum, inductio, inductus quartæ declinationis. Ab introduco, introductio. Ab obduco, obducio, item obduco, as, are. A produco, productus, productio, producte, productor. A Reduco, reductus, reductio, reductor. A Seduco, ſeductum pro diſtincto,

ctio, ſeductio, ſeductus, pro ſeparatio. A Subduco, ſubductio, ſubductarius. A Superduco, neſcio, an inveniatur ſuperductio: ſicut à ſuperinduco, ſuperinductio. A Traduco, traductio, traductor. *P.* Probe numeraſti: Eodem pertinent aquæductus & aquæductio: Item medicamentum aquæductum, quod Græcis eſt hydragogum, & forte etiam alia nonnulla. Jam rationem putemus, ſi quodlibet verborum jam enumeratorum, in genere tam activo, quam paſſivo per omnes modos, tempora, numeros & perſonas, Gerundiis, Supinis, Participiis non prætermiſſis, inflexeris, quot inde proventuras cenſes dictiones, ſeu voces ſingulares & à ſe invicem & terminatione & ſignificatione diſtinctas? *D.* Neſcio ſane, niſi prius numeravero. *P.* At tu, ſi recte numeraveris, non multo pauciores invenies, quam voces ducentas. *D.* Papæ! hic numerus omni expectatione mea major eſt. *P.* Quod ſi jam nomina quoque per numeros, caſus & gradus comparationis, ut vocant, variaveris, quid inde cenſes futurum? *D.* Videre hic quoque videor numerum opinione grandiorem. *P.* Eum igitur calculis adhibitis accuratè domi in muſeolo tuo inveſtiga, & per multiplicationem illam, quam ſupra dixi, elicere ſtude. Quem ſane ſi rectè operatus fueris, facile majorem potius, quam minorem deprehendes. *D.* Ita faciam, optime doctiſſimeque mi Præceptor. Jam pro tam ſuavi Colloquio, & tam fida & plena eruditionis inſtitutione gratias tibi ago & habeo immortales. *P.* Non eſt quod agas. Nihil enim facio libentius, quam ut vos, quotiescunque datur occaſio, meliores & doctiores efficiam. *D.* Eo ſane majores tibi à nobis gratiæ debentur, mi Præceptor. Vale!

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM,

QUÆ IN COLLOQUIIS CEU MENSA PUERIS PROPONUNTUR,

EMENDATUS ET AUCTUS.

Major numerus librum; Minor Colloquium ſignificat.

A.

ABſentia I. 13. 14
Abſentia injuſſu Magiſtri IV. 12
Abſentiæ cauſa IV. 20. V. 39
Abſentiæ remedium I. 14
Accerſendus ad ſcholam per literas IV. 28
Accuſatio petulantiæ V. 21
Accerſitus à patre IV. 11
Ægrotus IV. 41
Ægritudo V. 27
Æquitas punientis V. 21
Ætatis computatio III. 17
Ambulatio I. 24. 54. IV. 16. V. 38. 39
Ambulationis fructus I. 56. IV. 32
Amice monendum & colludendum II. 38
Amicitia III. 31
Amicitia improbor. II. 32
Amicorum diſceſſio II. 31
Amiſſio & recuperatio III. 12
Amuſus III. 12
Analogia & Anomalia IV. 34
Animadverſio in ignorantem IV. 2
Aqua è puteo V. 23
Arcani reticentia V. 5
Atramenti bonitas & vitia II. 34
Attentio ad præceptorem IV. 5

B.

Bellaria V. 22
Beneficia DEI III. 20
Beneficia III. 24
Bibliotheca I. 34

C.

Calami ſcriptorii paratio I. 63
Calefactio III. 14. 21

Digitized by Google

Calumniæ diſciplinæ V. 5.
Caritas juvandi II. 36.
Carnium differentia II. 17.
Catonis ſententia I. 6. II. 18. 33. 37. III. 7. 9. V. 4. 17. 28. 29. 30. 36.
Cautio emturi I. 33.
Certamen literar. III. 19.
Chartarum genera & uſus I. 33. III. 38.
Chriſtiana manſuetudo V. 31
Codex accepti & expenſi I. 26. IV. 14. 25
Cœnatio & à cœna ſtudii ratio I. 36
Cœnæ ſignum V. 13. 19.
Cœnæ invitatio II. 15
Cogi non debet ingenuus
Colloquiorum finis II. 2.
Colloquii pii fructus I. 49
Colludendum amice II. 39
Commeatio II. 35. III. 25
Commendantis cautio I. 29
Commodatio I. 21. 28. 30. 32. 35. 36. V. 2
Commodati repetitio I. 39. III. 6.
Communicatio uvarum III. 20
Compenſatio neglectorum V. 15
Compactio libri I. 16
Comprecatio mutua II. 37
Confabulationis odium & ſecuritas I. 16
Confabulatores II. 24. IV. 16
Conductio II. 3
Confeſſio medicinæ V. 29
Congreſſus III. 15
Conjugis dotes III. 4.
Conſolatio V. 27
Contractus vitandi V. 32
Contemtor II. 40
Convivii apparatus V. 22
Creditio vide mutuatio.
Crediti poſtulatio II. 34
Curatura & cultura corporis V. 24
Curioſus II. 29
Curioſitas I. 5. III. 37
Cuſtodia negligens I. 40

D.

DEI beneficia III. 29
DEI efficacitas III. 16
DEI bonitas prædicanda II. 17
DEI providentia III. 16. V. 20

Digitized by Google

DEI favor docet literas IV. 24
Deprecatio culpæ IV. 2. V. 25
Deſcriptio prælectorum I.
Deſperatorum mores III. 2
Dictandi injuriæ V. 10
Dictatorum in Scholis deſcriptio I. 20. III. 27
Diſcenda à puero I. 30
Diſciplina V. 25
Divinator V. 11. 23
Divina pro humanis V. 81
Divinum auxilium V. 32
Divitiæ quid II. 40
Domus per caſus Syntaxis II. 33
Domum itio V. 6
Donatio panis I. 84. 89

E.

Educatio liberalis V. 25
Emtio chartarum I. 25. III. 38
Emtio libri I. 37. III. 16
Emtio cultellorum IV. 15
Emtio ſcalpelli I. 31
Emtio carnis V. 11. 15
Emtio vetita II. 39
Emendatio naturæ V. 30
Epulæ variæ V. 22
Evangelium II. 15. V. 3
Eventus à DEO I. 31. II. 34. V. 19
Evocandus IV. 4
Excuſabile, quod emendabile I. 7
Excuſatio emanſionis II. 1
Excuſatio ignorantiæ IV. 2
Excuſatio petulantiæ V. 21
Exercitatio domeſtica III. 17
Exercitationis literariæ formæ II. 35
Exordium ad Præceptorem V. 26
Expoſtulatio non reddentis III. 6
Exſcribentis opera mutuatitia 20

F.

Fides juſtificans V. 31
Fides parentibus debita I. 48
Filii in patrem officium I. 62
Flagitioſa III. 1
Foras evocatus II. 20
Fortuna nil eſt II. 38. V. 11
Fratrum communitas IV. 30
Frigoris depulſio IV. 2

Fructus

Digitized by Google

Fructus autumnales V. 5

G.

Gratiæ referendæ II. 34. 35

Grati animi ſtudium I. 39. 45

Gratulatio conjugii III. 4

H.

Habitatio incommoda V. 36

Honor parentum IV. 29

Horarum ratio II. 2

Horæ percontatio II. 66

Horologium V. 37

Horti ad pietatem invitatio III. 6

Hybernatio II. 22

Hybernum cœlum III. 10

Hypodidaſcali officia V. 35

I.

Ientatio I. 1. 2. 3. 5. V. 26

Incuria puerilis I. 7

Ingeniorum diverſitas II. 39. III. 5

Ingenium averſum à literis III. 1

Innocentiæ ſecuritas I. 51. II. 28

Inſerviendi ſtudium I. 30. II. 16

Inventio amiſſi I. 28. III. 12

Invitatio ad ambulandum I. 32

Jocus in ſtultitiam I. 37

Italiæ laudatio V. 34

Iter ad portum II. 24

Itinerarium II. 20

Judex certaminis III. 19

L.

Lacer pannus V. 24

Latinitas I. 1. 2. III. 2. 10. 17. IV. 35. 36. V. 23. 25. 37

Legum æquitas I. 33

Libellus accepti & expenſi I. 2

Librorum uſus I. 34

Libelli compactio II. 16

Liberalitas V. 14

Licitatio in emtione I. 27

Literis nil antiquius I. 62

Literæ acceptæ II. 18

Locatio II. 33

Loquendi cautio I. 38

Loquendi uſus IV. 25

Lotio I. 56

Ludendi copia I. 8. 48

Luſionis fructus I. 58

Luſione potiores literæ I. 23. 57. 60

Luſio inhoneſta II. 38

è Luſu revocatio I. 61

Luſus pilæ II. 33

Digitized by Google

Luſus juglandium V. 20

M.

Manſuetudo V. 3
Mazarini ſententiæ V. 31
Maternæ ſtorgæ V. 9. I. 3
Matres pernicies filiorum I. 49
Matutinæ operæ I. 37 III. 27. IV. 39
Matutina expergefactio V. 36
Maturatio non eſt feſtinatio V. 23
Medicina III. 34
Memoriæ confirmatio II. 1. 2. 3
Memoria quomodo exercenda V. 20
Memoria puerilis V. 37
Mendacii cautio IV. 19
Mendacii fuga V. 33
Mercatorum mendacia III. 13
Merenda I. 66. IV. 12. V. 23
Mictum, Mejere III. 35
Migratio III. 27
Miles è ſcholaſtico V. 8
Moderanda in luſu exercitatio III. 26
Monitor familiaris II. 40. III. 15. 16
Morbus III 18. 34. IV. 41
Mora revertendi V. 15
Morum licentia V. 29
Moretum V. 16
Mos tyrannorum V. 11
Mundities V. 24
Mutuatio III. 16. 26
Mutuatio panis ad ſtateram I. 47
Mutationis ſpes I. 43
Mutatio benefica I. 4
Mutuatio ingenua non lucroſa I. 41
Mutui redditio I. 43

N.

Nautica II. 24
Nomenclatura rerum repetitio I. 25
Nomenclator in abſentes II. 24
Nomenclatoris vicarius II. 32
Nuncius lætus II. 15. 19. V. 27
Nuptiæ IV. 7

O.

Obedientia I. 4. V. 29
Oblivioſi III. 11
Obſervatoris fides I. 51
Obſervatoris admonitio publica I. 20

Obſer-

Obſervatoris ars vana II. 12
Obſervatoris æquitas II. 7. 13. 28. III. 2
Obſervantia in præceptorem III. 9
Obſervator facundus III. 30
Obſervatoris munia IV. 6
Obſonator V. 12. 14
Obviantes II. 22
Otii abuſus V. 29
Otii uſus V. 29
Oculi teneritudo V. 1
Olera horti III. 2
Orator deprecans V. 26

P.

Pædagogi officia I. 24
[redacted] V. 34
Parentes honorandi V. 29
Parentum indulgentia V. 9
Par pro pari I. 32
Parentes qui ſint II. 23
Parentis objurgatio V. 38
Pater illiteratus V. 36
Paterna opem literaria II. 35
Paterna ſeveritas V. 9
Patientia V. 20
Patris ſtorge V. 7. 10
Pauperes levandi II. 17. V. 23
Paupertas levatur divinitus II. 21
Pennarum delectus I. 20. 65. III. 13
Pecuniar. aucupes I. 44
Pecunia jucunda II. 15
Pecunia nervus rer. II. 36
Pecun. puero gravis V. 37
Pecuniæ uſus III. 26
Percontatio de amico II. 19
Peregrinatio mercatoria V. 27
Percontator III. 8
Peſtis vana duce Deo I. 59
Petendi modeſtia I. 62
Petitio chartæ IV. 14
Petitio panis I. 49
Piæ ſententiæ I. 33. 45. II. 16. 20. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. III. 8. 12. 21. 29. IV. 32. 34. V. 3. 7. 8. 13. 17. 18. 19. 20. 27. 37
Pietas in DEum, præceptorem, domeſticos I. 2
Pietas & inimicitia I. 33
Pietas puerilis III. 29
Pila II. 33
Pœnæ condonatio IV. 13

Pœna

Digitized by Google

Pœna etiam injuſta ferenda V. 17
Pœnæ effugium IV. 16
Prandium I. 5. II. 25
Præceptoris fides, comitas, dexteritas I. 2. 38. V. 42. V. 25
Præceptoris comitas IV. 31. 42. V. 33. I. 16
Præceptoris voluntas optima III. 15
Præceptoris convict. V. 25
Præmium virtutis teſtimonium I. 52
Præmeditatio petituri 18
Pravor. conſortium III. 32
Preces ſacræ V. 21. 27. 36
Probatio ſ. examen V. 28
Profectio II. 20. V. 14. 28
Profectus in ſtudiis III. 33 IV. 31
Proprietas verborum V. 14. 28
Providentia III. 16. V. 20. 26
Pudor Ruſticus V. 24
Pudor turpis indig. V. 4
Pueri Chriſtiani officia III. 37

R.

Recuperans amiſſum remunerari debet inventorem III. 12
Reditus dies IV. 19
Refractarior. mores III. 2
Regula ſtudior. II. 31. 37
Repetitio ante luſum I. 53
Repetitionis fructus atque modus I. 15. 16
Repetitio mutua utilior, quam ſolitaria I. 11
Repetitionum formæ I. 4. 9. 10. 11. 12. 67. 68. II. 1. 3. 4. 7. 8
Reticentiæ fides V. 5
Reverſio II. 31. IV. 12. 28
Ridere pro irridere III. 30
Riſus ineptus II. 18
Riſus, deriſus III. 7
Roma V. 34
Ruſticatio I. 65. II. 25
Ruſticationis deſiderium II. 21

S.

Sacra concio III. 5. IV. 2. V. 18
Salutatio matutina
Salutationes mutuæ IV. 33. V. 28
Sartor IV. 17. 18. 30
Scalpelli probatio I. 1
Scholæ miſſio III. 13

Schola

Scholæ peſtis V. 25
Scholaſtici ornamenta III. 14
Scholaſtica opera poſt jentaculum III. 28
Sciſcitatio IV. 13. 14
Scripturientes I. 19
Scriptoria arma & adjumenta II. 36
Sedulitatis munia V. 20
Sermo otioſus III. 10
Simulatio II. 27. V. 21. 32
Socratis fames I. 24
Somniculoſus IV. 42. V. 30
Studiorum norma III. 33. IV. 31
Sumtuariæ leges IV. 2
Syntaxis nominis domus II. 33

T.

Tempus omne in literis II. 18
Theca ſcriptoria II. 26
Theologiæ primitiæ V. 33
Timiditas III. 25
Tonſtrina III. 23. IV. 9. 10. 33

V.

Vacatio Scholarum V. 15. 20. 28. 38. 39
Vacua claſſis IV. 3
Valetudinis nuncius II. 25
Valedictio nocturna V. 25. 29
Vapulatio acceſſoria V. 14
Venia à Præceptore I. 22. 60. II. 23. III. 8. IV. 7. 8. 9. 10. 13. 16. 17. 18. 19. 21. 24. 26. 27. 29. 30. 37. 40.
Veniæ recuſatio IV. 10. 18
Veniæ petendæ contemtus IV. 13
Veritas. I. 51. III. 25
Verba pro verberibus V. 4
Verſificatio II. 24. V. 23
Veſtitus III. 3
Victoria ſcholaſtica I. 50. II. 2
Victus aliis magis minusque propitius I. 6
Vina varia V. 28
Vindemia II. 22. III. 20. V. 26. 28
Vindicta V. 31
Virga diſciplinæ V. 17
Viva vox Magiſtri V. 11.
Voracitas V. 21
Urina V. 23

FINIS.

MAG 2012304

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized